

ut ea vilæ odiis accensa, quasiam velut faucibus
in hospitem vaporet animam, quibus ipsa quoque
eodem concideat, et coëstuet incendio. Sentinæ fe-
lorem vix aut nunquam navis gubernator evadet,
minus est affectum⁵⁷, quo summo plena est corpo-
ris navicula, ad rectum spiritum minime pervenire,
quo per usus ipse tam carnaliter carnis morigera-
tur imperiis, ut per eam vivificationem impugnare
magnum putet obsequium, cui vivere magnum putet
supplicium. Nascitur inde turpis et ridiculosus mor-
tis appetitus, ac nequam progentes, quæ more vi-
peræ suos plerumque suffocat, et exstinguit geni-
tores. Nonnullos tua quoque tempora habuerunt,
quos vel in aquas, vel ad laqueum amissæ dolor
egit pecuniæ. Nam de veteribus quid loquar, quo-

rum simili provocati insania⁵⁸, veridicis assertio-
nibus⁵⁹ poëtarum nequaquam tacuerunt? Nunquid non
recolis idem te attestatum, cum affectæ mortis ori-
ginem suppositis decantares versiculis?
Cum placeat carni quod vivificatur, ametque
hoc animæ obsequi ut, tamen evenit ut diuturnis
Fracta malis, vitam fastidiat, ablicet annos.
Mali obire sentit, quam sædus, atque suprema
Morte rapi, quam tot percuntibus esse superstes.
Sed hec his iustet, non est homicida voluntas,
Donec declinet faveatque uxorius illi⁶⁰
Spiritus, hoc stimulis, et blanda lite subacto,
Gignitur excessus, quia dum caro clamat, eamque
Spiritus exaudit, consensu culpa creatur,
Inque creando nefas, caro ut vir, spiritus uxor.

⁵⁷ Minus est affectum.

⁵⁸ Quorum simili provocati insania.

⁵⁹ Insania veridicis assertionibus.

⁶⁰ Faveatque uxorius illi.

Minus difficile est affectum.

Quorum mores simili provocatus insania.

Insania vindicis assertionibus

Faveatque uxoriibus illi.

VEN. HILDEBERTI CENOMANENSIS EPISCOPI MORALIS PHILOSOPHIA DE HONESTO ET UTILI

*Multo quam antea auctior atque emendatior ex Bibliothecæ seminarii Patavini manus-
cripto codice edita ac notis illustrata*

CLARISSIMO VIRO
JOSEPHO VALENTINELLI BIBLIOTHECÆ D. MARCI VENETIARUM PRÆFECTO
HOC VENERABILIS HILDEBERTI
OPUSCULUM
E MEMBRANIS BIBLIOTHECÆ SEMINARII PATAVINI ERUTUM
LBENTISSIME D. D. D. VINCENTIUS DE VIT.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quod in animo erat nunc demum occasionem nactus opportunam, promissum exsolvo et in-
tegrum tibi, benevole Lector, ob oculos sisto Venerabilis Hildeberti opusculum, quod *Moralis
Philosophia de honesto et utili* inscribitur, cujus specimen jam undecim abhinc annis exhibui ex
eodem isto codice fere ad verbum exscriptum, ex quo Varronianæ quædam sententiæ fuerunt
desumptæ ac typis a me jamdudum vulgatæ (61).

Quæ ibi tam de codice isto, quam de hoc Hildeberti opusculo præfatus fueram, breviter hic re-
sumam, et nostræ hujus editionis merita præ cæteris explicabo.

Fuerat olim hic codex, ut postmodum mihi innotuit, Conradi Celtis cujusdam, viri litterati, a
quo in potestatem venerat Antonii Querengo, in cujus ædibus jam viderat et consuluerat celeberrimus
amanuensis Joannes de Rhodo (62); denique cum aliis multis cessit in bibliothecam seminarii
Patavini, ubi adhuc asservatur sub. n. Cl. Ejus ætas, ut ibi quoque ediximus, ad sæculum deci-
mum tertium referretur. Forma characteris ad rotundum Romanum proxime accedit, et litteræ ab
initio capitum, tituli et signa apposita ad horum capitum finem coloribus rubro et cæruleo de-
picta sunt. Sic iisdem pariter coloribus pro lubitu scribuntur nomina auctorum, quorum verba
referuntur.

Plura continet hic codex ex variis Latinis scriptoribus partim excerpta, partim ex integro pene
descripta, quorum seriem ibi pariter recensuimus, inter quæ initio statim principem locum tenet
opus quod inscribitur: *Isagoge ad moralem philosophiam*. Quod opus, quanquam hic, et hujus-
modi inscriptione et sine nomi- e auctoris exhibeatur, illud tamen esse quod ab aliis *Moralis Phi-
losophiæ*, ut supra retulimus, *De honesto et utili* dicitur, et ejusdem auctoris, nempe venerabilis

(61) *V. sententias M. Terentii Varronis majoris a parte ineditas ex cod. ms. bibliothecæ seminarii Patavini
editas et commentario illustratas*, etc. Patavii, 1813, typis seminarii, in 8°, ubi a pag. 82-94, paucis præ-
missis, specimen hoc reperies ex capite de fortitudine et de securitate desumptum, et cum editione
collatum.

(62) *Consule* Thomasinum *De biblioth. Patav. ms.*, p. 87, et Valentinielli, *Della biblioteca del
seminario di Padova*, p. 32, nec non Varronis sententias mox citatas quibus fustor hujus codicis
scriptio præmittitur, a pag. 12-15.

illius episcopi Hildeberti cujus alia plura habemus opera, argumentis satis firmis ostendit clarissimus Operum ejusdem editor (63), cujus *Monitum* hic quoque repetendum duximus, ut bonitas nostri codicis dein clarius patellat.

—
Monitum primi editoris huic opusculo præmissum.

« 939-960 Tractatum hunc eruimus ex optimo manuscripto Colbertino, num. 2662, sexcentorum circiter annorum, in quo continebantur Venerabilis Hildeberti epistolæ, post quarum ultimam immediate, et eadem manu et caractere sequebatur, et quem habita styli ratione, et modis loquendi quibus in epistolis passim utitur Hildebertus, censuimus esse veram ejus lucubrationem, et illam ipsam esse de qua loquitur Hildebertus in epistola 12 lib. I, ad Henricum I Anglorum regem, qua illum de infelici filiorum suorum submersione solari conatur. Ibi enim illum ad constantiam hortatus, fusa et eleganter veri sapientis instituta describit: *Quæ videlicet instituta*, inquit, *cum ad me traducibus paginis pervenirent, publicis conspectibus exponenda decrevi, verius invidiam posterorum, si ea posteris inviderem. Hæc igitur illis exaravi, qui nec prosperis reverenter utuntur, nec immoti dura pertranscunt.* His collimat, quod in epistola 3 ejusdem libri I scribit ad Adelam Stephani Blesensis comitis palatini conjugem, ut eam comitatus Blesensis clavum in absentia mariti tenentem, ad clementiam, quam vel sola humana ratio suadet, adhortetur, asserens rationem ipsam *de clementia compendiosa principibus Senecæ capitula vulgasse, in quibus ideo brevitatem dilexit non obscuram, ut magnis occupatos legere non læderet.* In hoc autem tractatu præ cæteris auctoribus Senecæ potissimum sententiis e libro de clementia desumptis utitur Hildebertus. Illum vero concinnasse e plurium profanorum libris credimus, dum adhuc juvenis humanioribus litteris daret operam, et illorum libros præ manibus haberet, quod e frequentioribus poetarum citationibus evinci potest. Hunc porro tractatum contulimus cum altero manuscripto e celebri bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, num. 759, a quo Colbertinum non aliter discrepare comperimus, nisi quod paulo amplior est, et quod quibusdam in locis, sed admodum paucis, quædam profanorum scriptorum sententias nonnullis sacræ Scripturæ testimoniis gavisissimi sumus stabiliri, et quodammodo consecrari. Illi insuper eo libentius adhæsimus, quo etiam majorem eum optinati sumus afflictitatem habere cum tractatu metrico: De quatuor virtutibus vitæ honestæ, quem inter opuscula poetica Hildeberti reperimus in manuscripto perantiquo Colbertino, num. 6327, et quem isti De honesto et utili libro immediate duximus esse subjungendum.

« Quem autem designet littera *n*, per quam notat virum optimum et sublimem, ad quem hunc mittit tractatum, discernere non aui-m; non tamen sine probabilitate suspicarer eum esse Reginaldum Beati Augustini monachum, ad quem epistolam 15 libri III dixerit Hildebertus, gratias illi referens, quod *aliquas positiones ingeniosi*, ut ait, *sui filias benigne accepisset, et etiam suis operibus interseruisset.*

« Cæterum non dubium quia ex frequenti lectione Senecæ, Ciceronis, Sallustii, et aliorum priscæ ætatis eloquentiæ principum, quos Hildebertus adhuc juvenis assidue versaverat, et quorum in hoc tractatu præcipuas sententias, ut et ex celebrioribus poetis collegerat, illum sibi formaverit concisum et elegantem styli, multa paucis disserentem, et bonos sales ubique spargentem, quem in ejus operibus, sed præsertim in epistolis, mirati sunt hucusque omnes eruditi. »

—
Hactenus cl. editor. Veniamus nunc ad nostrum codicem.

Quod ille suspicatus fuerat, nempe Hildebertum e plurimis profanorum libris tractatum istum concinnasse, hoc plane innotescit ex simplici codicis nostri inspectione, in quo videre est verba ipsius auctoris pauca admodum esse et integrum opus ex dictis vel sententiis veterum auctorum elucubratum (64), scilicet Ciceronis, Sallustii, Senecæ, Boethii ex libris De consolatione, Isidori, et poetarum Horatii, Terentii, Juvenalis, Persii et Lucani. Citat etiam Platonem, non tamen ex textu Græco sed ex interpretatione Ciceronis, cujus verbis utitur. Ex SS. Bibliis citat D. Pauli Epistolas, et Salomonem ex Proverbiorum, Ecclesiastici et Sapientiæ libris. Porro hæc auctorum nomina, ut diximus, distincto characterum colore in codice exhibentur, atque ubi sua verba Hildebertus interponit, iisdem præmittit vocabulum AUCTOR, distincto pariter caractere.

Monendum tamen est hæc nomina auctorum non semper verbis allatis in codice respondere, et aliquando uni tribui quæ ad alium spectant. Sic etiam ad Senecam referuntur sententiæ plures quæ in collectione Publii Syri, ut vulgo traditur, inveniuntur, licet non dubitamus has quoque ex Senecæ libris majorem partem concinnatas fuisse. Sic pariter auctori ipsi plura accensentur quæ ad aliquem ex citatis pertinent. Hinc conjicimus hanc nominum auctorum designationem in codice nostro ab aliquo operis hujus excerptore, viro qui tem litterato et in classicis auctoribus evolvendis aliquantisper instructo, non autem ab ipso auctore provenisse, qui profecto in hunc errorem minime incidisset. Quare nos nomina hæc auctorum, ubi orationis series illa ex-

(63) En titulus hujusce editionis, quem in nostram contulimus: *Venerabilis Hildeberti primo Cenomanensis episcopi, deinde Turonensis archiepiscopi opera tam edita, quam inedita. Accesserunt Marbodi Redonensis episcopi ipsius Hildeberti supparis opuscula, etc., studio D. Antonii Beaugendre presbyteri et monachi e congregatione S. Mauri.* Parisiis, 1708, in-1^o magno. Opus allatum habetur in hac editione, quam solam citabimus, a pag. 939 et seqq.

(64) Hoc ipse Hildebertus clare fatetur initio statim Cl. n. 1 et 2.

postulare vel saltem pati videbatur retinentes, pluries tamen omisimus et inter notas subtus rejecimus, in quibus loca allata in textu ipso requirentes auctoris nomine designavimus.

Loca vero poetarum quæ tum in codice nostro, tum in editione, unico Horatii loco, ubi diversa ætatum studia describit, excepto, plena linearum serie descripta sunt, nos, ut in poetarum ipsorum editionibus sit, versum a versu distinguentes, præbuimus varias in notis lectiones commoventes, quæ aliquando minime spernendæ sunt; præsertim illæ quæ in Horatianis locis quibusdam leguntur, quæ aliquo pretio haberi possent a novis ejus editoribus. Quod æque dictum volumus de paucis aliis reliquorum auctorum.

Quod porro attinet ad loca eorum qui prosa oratione scripserunt, ea sic referuntur a nostro, ut nonnisi paululum immutata in editis reperias. Et hæc pariter nos cum textu auctorum illorum contulimus et infra adnotavimus, pauca si excipias, quæ undæ fuerint deprompta nos adhuc latet.

Cæterum non una hæc est dos codicis nostri cum editione collati. Nam textus ipse in eo, ut notas, quæ in margine plures habentur, omittam, mirum quantum discrepat ab edito, nec solum in verbis, sed et in rebus; multo enim est auctior, et quandoque correctior, ut patuit ex specimine illo quod exhibuimus, et clarius quoque patebit ex hac ipsa integra quam paravimus editione (65).

Restat nunc ut pauca quædam disseramus de viro illo cui hoc opus ab Hildeberto dicatum fuit. Cl. editor, ut supra vidimus, ex littera h quam in codice Colbertino repererat, suspicatus est hoc opus *Reginaldi* cuidam Beati Augustini monacho, dicatum fuisse: codex noster e contra *Henrico* quidam præstantissimo viro dicatum refert clarissimis hæc verbis: *Moralium dogma philosophorum per multa dispersum volumina tuo quidem instinctu, vir optime atque liberalis, Henrice, contrahere conabar.*

Quæ cum vidissem, statim mihi in mentem occurrit Henricus I, rex Angliæ ac Normandiæ dux, vir bonis litteris a pueritia excultus ac militia clarus, qui jam ab anno 1106 Normandiam, incuria fratris sui Wilhelmi II in plures dominos distractam, bello subegit, quique re ipsa cum sapientia, tum pietate ab antiquis scriptoribus quampluribus laudatur (66), eodem Hildeberto nostro non omisso, qui licet ei aliquando minus gratus fuisse tractatur (67), nihilominus post modum ita in ejus gratiam venerat, ut tanquam familiaris apud eundem pro amicis suis intercedere posset, ut hujus epistolæ testantur ad eum intra annos 1120-1130 exaratae (68): quibus addendum esset elogium quod in hoc ipso tractatu exstat initio his verbis: *Te autem puto huic honestatis formæ non parvam impendere diligentiam; adeo namque arcto atque insolubili nexu inhæres honesto, quod nec vehemens tumultus hujus perniciosissimæ seditionis honestatis curam tibi excutit. Sic t enim temporis necessitas ut fugitia te pertrahit, mens tamen tua contradicit et recitat.* Quæ omnia in eum me sententiam adduxerunt ut hoc opus Henrico isti inscriptum esse ab Hildeberto affirmarem. Quæ quidem sententia, quanquam non adeo invictis argumentis probari potest, ut omnis alia debeat prorsus exclusi, ætis tamen ex auctoritate codicis nostri probabilis esse videtur.

Hæc sunt, benevole Lector, quæ majoris momenti præmonenda curavi, cætera minoris ponderis tibi excutienda relinquo. Interca vale, et hoc meum qualecunque opus æqui bonique facias etiam atque etiam rogo,

(65) In edit. hoc opus desinit his verbis: *Exercitationem desiderat. Explicit liber moralium.* In nostro autem hæc formula deest, et post *desiderat* adjungitur locus ex Boethio, qui tractatui finem imponit.

(66) Vide Natalem Alex. in *Hist. eccl. ad sæc. xi et xii*, cap. 12, art. 6.

(67) In Vita venerab. Hildeberti, ejus operibus præmissa.

(68) Vide epist. 12 lib. I, et epist. 12 et 20 lib. III.

MORALIS PHILOSOPHIA

DE

HONESTO ET UTILI

PRÆFATIO

961-962 1. Moralium dogma philosophorum A gravitate reverendas antecedebat, statimque, ut sit, solo animi augurio primum illum esse Latinæ eloquentiæ auctorem Tullium mihi innotuit; post quem ille moralitatis eruditior elegantissimus Seneca cum quibusdam aliis, quos tibi eorum verba deinceps significabant (72), se agebat.

(69) Codex noster habet: *Incipiunt Isagogæ ad moralem philosophiam.*

(70) In cod. conabar.

(71) Male edit. habet *contictatum*, est enim conti-

2. Una igitur conferentes, arbitrabar descriptionem a conticescendo et pro prima noctis parte accipitur. V. Lec. Fort. ell. ad h. v.

(72) In cod. *deklarabant.*

nibus distinctionibusque moralem philosophiam quasi in artem eos (73) colligere, mihi que ipsi fas esse, quæ ab aliis vel ab his audiveram, proverbia interponere. Ego expergefactus igitur officio stilli audita designans (74) insistere brevitali decrevi; primum quia de singulis, ut ait SENECA, « fragilis est memoria, et rerum turbæ non sufficiens. Deinde de memoria emittat recepta, et ne recentibus obruat antiqua (76). » Unde HORATIUS:

*Quidquid præcipies, esto brevis; ut cito dicta
Perceptant animi dociles, teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat (75).*

Præterea hæc tua diligens instantia a me polliciti tam sæpe operis consummationem poscebat instantiter, quod illud expertus sum, quia animo desideranti nil satis festina ut et desiderio celeritas est mora. Ipsius præterea operis fructus cellula memoriali reponendus non se dilisius tractari permittebat (77). TULLIUS: « Nulla enim vitæ pars neque in publicis, neque in privatis, neque in forensibus, neque domesticis in rebus morali philosophia vacare potest. In hæc excolenda sita est omnis vitæ honestas, et in ea negligenda est turpitudine (78). » De ea igitur accipe compendiosam particulam ac si

A de magno flumine cyathum sorbillandum (79) tibi quis propinet. Te autem puto huic honestatis formæ non parvam impendere diligentiam; adeo namque insolubili nexu (80) in hæres honesto, quod neque vehementis tumultus hujus perniciosissimæ seditio- nis honestatis curam tibi excutit. Licet enim temporis necessitas ad flagitia te pertrahat, mens tamen tua contradicit et reclamat.

3. TULLIUS: (81) Triplex est capiendi consilii deliberatio. Prima est de honesto tantum, secunda de utili tantum, tertia de consilio utriusque. Prima subdividitur in duas, dubitamus enim utrum honestum an turpe sit de quo agitur (82) et de duobus honestis propositis, quod eorum honestius. Secunda quoque dividitur in duas; deliberatur enim utrum aliquid sit utile, vel non; et de duobus utilibus (83), quod eorum sit utilius. Tertia manet indivisa. Sunt igitur quinque consultationes. Prima quid sit honestum, secunda de collatione honestorum, tertia quid utile, quarta de comparatione utilium; quinta, quando id quod videtur honestum pugnare videtur cum eo quod videtur utile (84). De horum quolibet secundum enuntiatum ordinem uberrime discernamus, ac primo de honesto.

QUESTIO I.

DE HONESTO.

74. TULLIUS: « Honestum est quod sua vi nos trahit et sua dignitate nos allicit. — Virtus vero est habitus animi in modum naturæ homini consentaneus (85). » Virtus igitur et honestum nomina sunt diversa, res autem subjecta prorsus est eadem. SENECA: « Adeo gratiosa virtus est, ut insitum sit et malis probare meliora. Quis enim est qui non inter scelera bonitatis opinionem affectet? ... Neminem reperies qui nequitiae præmiis sine nequitia frui non malet (86). » Exoritur igitur honestum quatuor ex fontibus: prudentia, justitia, fortitu-

C dine, temperantia. Prudentia est boni malive discretio cum appetitu boni et delectatione mali, vel rerum bonarum et malarum et utrarumque inter se discretio: justitia est virtus jus suum cuique conferens; fortitudo est periculorum laborumque atque utriusque fortunæ æqua perpessio; temperantia est virtus motus animi illicitos cohibens suavisu prosperitatis in nos impetum facientes (87).

DE PRUDENTIA.

3. Has omnes præcedit prudentia quasi lucerna, tanquam viam aliis monstrans; ejus enim est

(3) In edit. nos, rectius autem dixerim eos, ut in nostro codice, nam postea de se statim loquitur auctor dicens: *mihique ipsi, etc.*

(74) Sic Boethius *Cons. phil.* I, pr. 1, dixit *quærimonium stilli officio designare.*

(75) Senec. VII *Benef.* 23, paucis mutatis.

(76) Horat. *Art.* p. 333 seqq. In edit. loco verborum, *unde Horatius, habentur: Idem egregie scriptorem formare videtur qui dicit: Quidquid, etc.*

(77) In edit. *diligenter reponendus nullatenus diffusius se tractari permitteret.*

(78) Cic. I *Off.*, 2, ubi loco morali philosophia legitur *officio.* In cæteris consonat.

(79) Modus dicendi Terentianus in *Adolphis* IV, 2, in fine.

(80) In edit., *arcto atque insolubili complexu.*

(81) Cic. I *Off.*, 3. In toto hoc capite auctor sequitur Ciceronem non in verbis, sed in sententiis. Hinc insuper patet doctrinam ejus de officiis in compendium redelegisse, servata a Cicerone ipso proposita divisione.

(82) *Dubitamus namque utrum honestum, an tempore sit factum.* Ita edit.; et in margine: *supp. f.*

convenienti, scilicet tempore. Falsa hæc lectio ex Cicerone diluitur, ubi *l. c.* traditur: *Nec enim solum utrum honestum, an turpe sit deliberari solet, sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius.*

D (83) *Inquiritur enim de duobus utilibus propositis, utrum eorum utilius sit.* Ita edit.

(84) *Quinta consultatio quando videntur utilis et honestum sibi adversari.* Ita edit.

(85) Cic. II *Invent.*, 53, habet: *Est quiddam quod sua vi nos allicit ad sese, ... trahens sua dignitate.* Et cap. 34: *Virtus est enim habitus, naturæ modo consentaneus.* Cæterum hæc secunda periculis in edit. desideratur.

(86) Senec. IV *Benef.*, 17.

(87) Hæc pariter sequitur Ciceronem in fontibus honesti; sed in definitionibus nonnihil discrepat. Ciceroni prudentia *l. c.* est *rerum bonarum et malarum, neutrarumque scientia vel nec bonarum nec malarum, ut habet III, d. n. 15, aut denique rerum appetendarum fugiendarumque scientia, ut Off. n. 3.* Sic dicas de reliquis ap. eum. *ll. cc.* et alibi — In edit. vero nostri auctoris secunda tantum habetur prudentiæ definitio, priori omissa.

consulere, cæterarum agere. Consilium autem præ-
ire debet actum. SALUSTIUS: « Priusquam incipias,
consulta, et postquam consulueris mature, facto
opus est (88). » SALOMON: « Palpebræ egressus tuos
præcedant (89). » Consilia præveniant tuos actus.
Prudentiam sequitur justitia, sed ejus officium duo
sunt affectus, scilicet timor et amor vel cupiditas;
et duæ fortunæ, adversa scilicet et prospera, præ-
pediunt. Sit enim aliquis quem sapientia beneficio
tuo dignum faciat, sed aliquis tibi dicat, quod si
præfatum sapientem tibi adjungas, alicujus poten-
tis odium incurris: ecce timor ab officio justitiæ
faciet te cessare. Rursus sit aliquis erga quem de-
beas esse munificus, tunc si cupis servare quod
habes, qua tibi utile videtur, et quia non facile re-
cuperatur, cupiditas justitiæ obviat; ideoque justiti-
am duabus columnis futeiri oportet, scilicet forti-
tudine contra timorem, temperantia contra cupidi-
tatem. In fortunis patet cur prosperitati opponenda
est temperantia, fortitudo adversitati; illa enim ex-
tolleret, hæc dejiceret.

6. Prudentia igitur mala a bonis et bona et mala
mutuo discernit. Cum ergo virtus ista sua vi nos
trahat, sub honesto continetur. TULLIUS: « Omnes
enim trahimur et ducimur ad cognitionis cupidita-
tem, in qua excellere pulchrum putamus. Labi
autem, errare, decipi, nescire malum et turpe pu-
tamus (90). » Hujus partes sunt: providentia, cir-
cumspectio, cautio, docilitas.

De providentia.

7. Providentia est præsens notitia futurorum
tentans (91) eventum. Hujus autem est officium, per
præsentia suæ uræ præmunire, calamitatem imminen-
tem consilio prævenire. BOETHIUS: « Neque enim hoc
quod ante oculos situm est sufficit intueri. Pruden-
tia rerum exitum metitur (92). » TULLIUS: « Illud
est et magni ingenii præcipere cogitatione futura,
et ante constituere quid in utramque partem pos-
sit accidere, et quid agendum sit, cum quid even-
erit; neque prætermittere, ut non dicatur ali-
quando: *Non putaram* (93). » SENECA: « Consilia-
toris autem est officium efficere ne homo suæ fe-
licitati credat, stultam fiduciam potentiæ semper
illi permansuræ discutere, docere, et omnia casu

(88) Sallust. *Catil.* 1. Loco nominis hujus auctoris
in edit. legitur: *Unde ait poeta: Priusquam, etc.*,
quod sane editoris imperitiam in antiquis evolvendis
scriptoribus demonstrat. Sic et alibi, ut videre
erit in seqq. adnotationibus.

(89) Apud Vulg. interpr. in Proverb. iv, 23, ubi:
palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Verba autem
quæ sequuntur explicationis causa addita videntur,
coll. cod. Eceli. xxxvii. 20: *Ante omnem actum con-
siliium stabile* (præcedat). Et reipsa in edit. post
verba Salomonis sic reperitur: *id autem est, quod
consilia actus tuos præveniunt, prudentia scilicet ju-
stitiæ.*

(90) Cic. 1, *Off.* 6. Prudentiæ porro partes aliter
habet II, *Invent.* 51, nempe *memoriam, intelligen-
tiam, providentiam*; quam postremam sic definiit:
Providentia est per quam futurum aliquid videt ante-

A *data mobilia esse et cursu velociore fugere quam
eveniant* (94). » BOETHIUS: « Nunquam tua facies esse
fortuna, quæ a te natura rerum fecit aliena (95). »
SENECA: « Nec iisdem gradibus, quibus ventum est
ad summum, retroiri, sed inter summam et ultimam
fortunam nihil interesse (96). » — « Falsi vero amici
pro consilio adulationem afferunt, et una est eorum
contentio, quis blandissime fallat (97). » TULLIUS:
« Tales enim nos tunc esse putamus, ut jure laude-
mur; ex quo innumerabilia peccata nascuntur, cum
homines suis inflati opinioibus, turpiter irridetur,
et in maximis versantur erroribus (98). » JUVENALIS:

Nihil est, quod credere de se

Non possit, cum laudatur diis æqua potestas (99).

B SENECA: « Idcirco plerique vires suas nescientes,
dum se tam magnos quam audiunt credunt, bella
suscipiunt in discrimina perventura (100). » De assen-
tatoribus autem facile fallentibus et vero consilia-
tore istud sufficit exemplum. — Medorum rex Xer-
xes Græcis bellum indixit, cui familiarum alius
dicebat: Græcos nuntium non expectaturos, sed ad
primam adventus ejus famam terga versuros. Alius
dicebat: Græciam non vinci, sed obrui mole exerci-
tus. Alius dicebat: timendum esse ne urbes deser-
tas et vacuas invenirent, non habituram regem ubi
tantas vires exercere posset. Alius naturam rerum
vix illi sufficere posse, angusta esse classibus ma-
ris, militibus castra, explicandis copiis equestribus
campestris, vix patere cælum sagittis. Dum in hunc
modum nimia regem existimatione ferventem concil-
larent, dixit Demaratus: Multitudo, quæ tibi pla-
cet, metuenda est tibi; ~~DEA~~ verum est enim immo-
derata nunquam posse regi, nec diu durare quod
regi non potest. Nihil tam magnum quod et perire
non possit. Acciderunt quæ Demaratus dixe-
rat (1). — Apparet igitur plus esse providentiæ ve-
ris consiliatoribus, quam assentatoribus.

De circumspectione.

C 8. Circumspectio est contrariorum vitiorum cau-
tela. Hujus officium est frugalitatem sic servare, ut
avaritiæ fuga non incurrat dissipationem, et sic a
temeritate recedere ut timorem non incurrat. Hujus
officium persuadebat SALOMON: « Omni custodia
serva cor tuum. (2), » dicitur enim *custodia præ-*

quam factum sit.

(91) *Pertractans* in edit., rectius tamen *tentans*.

(92) Boeth. *Cons. phil.* II, prosa 1.

(93) Cic. 1 *Off.*, 23.

(94) Senec. VI *Benef.*, 33.

(95) Boeth. l. c., pr. 5.

(96) Senec. l. c.

(97) Item *ibid.*, c. 30.

(98) Cic. *ibid.*, 26.

(99) Juvenal, n. 70. In edit. legitur loco Juvenalis:
unde poeta, etc.

(100) Senec. *De benef.* VI, 20 et 31. Exemplum
ab auctore prolatum pariter ex hoc Senecæ libro
fere ad verbum desumptum est.

(1) Democritus in edit. sic et paulo supra, sed
in codice nostro et ap. Senecam *Demaratus*.

(2) Apud Vulg. interpr. in Prov. II, 23.

misit omni, ne hinc hostibus fores claudas, illinc A
aditum pandas. HORATIUS :

*In vitium culpæ ducit fuga, si caret arte.
Dum stulti vitant vitia, in contraria currunt* (3).

De crutione.

9. Crutio est a virtutibus discernere vitia speciem virtutis præferentia. Ad hujus officia ducit nos IASONUS, dicens : « Quædam vitia virtutum speciem præferunt, unde perniciosius suos fallunt sectatores, qui virtutis se velamine tegunt. Nam sub prætextu justitiæ credulitas agitur, et remissa seguities mansuetudo creditur (4). » CICERO : « Nullæ sunt pejores insidiæ quam hæc quæ in similitudine officii latent (5). » Nam Trojanos ideo fefellit equus, quia Minervæ formam est mentitus.

De docilitate.

10. Docilitas est prudentia docendi imperitos. Hujus autem officium est, ut prius homo se ipsum informet, deinceps alios juxta illud SALOMONS : « Fili, bibe aquam de cisterna tua et fontes tuos sparge foras (6). » Bibere autem aquam de cisterna est haurire sapientiam de mente propria. TERENTIUS :

*In comparata est hominum natura omnium
Aliena ut melius videant, ut dijudicent,
Quam sua. Quod ideo fit, quia in re nostra aut
Sumus præpediti nimio aut ægritudine* (7).

Spargere fontes est alios docere (8) TOLLIUS : « Circa virtutem istam duo sunt vitanda : unum, ne ignota pro notis habeamus, hisque temere assentiamur (hoc est enim præsumptio); quod vitium effugere qui volent (omnes autem velle debent), adhibebit tempus studentis atque diligentis meditationem; alterum est, nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles et non necessarias conferre (9). » Hoc vitium curiositas dicitur, eo quod parvæ utilitati nimia opera imponatur, sicut accidit si, morali philosophia relicta, astrologiæ, geometriæ, quibusdam etiam dialecticæ vanitatibus nimis intendas. SENECA : « Melius enim est si pauca præcepta sapientiæ memoria teneas, et illa sint tibi in usu et in promptu, quam si multa didiceris et ea in promptu non sint. Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes nexos didicit, usus quorum rarus est, sed qui in quibusdam se diligenter exercuit; non enim refert quam multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est : sic in disciplinis multa delectant, pauca 965 juvant. Licet nescias quæ ratio effundat Oceanum, et quid gemellorum conceptum separet, partum jungat, cur

(3) Horat. *Poet.* 31.

(4) Iudorus, scilicet. Dispalensis, in lib. II Sententiar., c. 35.

(5) Ciceronis locus iste mihi incompertus. In edit. legitur : *Nullæ sunt aut Cicero, occultiores insidiæ, etc.* Periodum vero quæ sequitur, auctoris nostri esse monet codex.

(6) Apud Vulg. interpr. in Proverb. v. 13, 16. Edit. sic integrum locum affert : *Fili mi, bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui : Deriventur fontes tui foras* (pro quibus codex voster *et fontes tuos sparge foras*, fortasse ex Italica versione antiquissima), et

simul natis diversa fata sint, non multum nocebit transire, quæ nec scire licet, nec prodest (10). »

DE JUSTITIA.

11. Justitia est virtus humanæ societatis et communis utilitatis conservatrix, quæ omnium hominum cohabitationes tibi conservat, ut unus agros et facultates teneat, quibus alius eget. Concitantur igitur invidia et seditio, nisi adesset justitia, quæ jus suum cuique confert. Vitæ autem communitatem (id est negotia) sic observat dum eundem modum vivendi, ut mercaturam vel militiam plures assequantur, quæstus unius minuit lacrum alterius, quæ res moveret livorem nisi justitia æquitalis custos adesset. Hæc etiam virtus omnia aspera transcendit. « Nemo enim potest esse justus, qui B moriem, exilium, dolorem, egestatem limet, aut qui ea, quæ sunt his contraria, æquanti anteponit : itaque, mea quidem sententia, omnis vitæ institutio adjumenta hominum desiderat, quæ per justitiam parantur, ut in primis habeat homo familiares, cum quibus possit conferre sermones, atque his, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, et qui contrahendis negotiis implicantur, necessaria est justitia, cujus tanta est vis, ut etiam illi, qui maleficio et scelere pascuntur, non possint sine ulla justitiæ particula vivere. Nam qui eorum cupiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is nec latrocinio sibi locum relinquit. Archipirata, si non æqualiter prædam disperdat, aut interficitur a sociis aut relinquitur (11). »

De severitate.

12. Dividitur autem justitia in severitatem et liberalitatem. Severitas est virtus debito supplicio coercens injuriam. « Primum ergo severitatis est officium, ut ne quis alicui noceat, nisi primum la-cessitur injuria. Secundum est communibus ut pro communibus, privatis pro privatis. Sunt autem privata nulla natura : sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt : aut victoria, ut qui bello potiti sunt : aut lege, ut qui testamento patrum hæredes facti sunt. Fiunt etiam privata pacatione, conditione, sorte; ex quo fit ut quisquis teneat suum id, eorum quæ natura fuerant communia, quod sibi contingit. Ulterius, si quis plus appetit, violabit jus humanæ societatis (12). » Inde D omnis seditio oritur, quia in tuum usum mea privata conaris transferre. SENECA : « Quietissime viverent homines 966 nisi essent duo verba, scilicet meum actuum (13). » — « Tertium severitatis est offi-

in plateis aquas sparge (pro quo Vulg. habet *diotide*).

(7) Terent. *Heaut.* III, 1, in fin.

(8) E. III. addit. : « *Fontes foras derivare* est scientias in alios transfundere. »

(9) Cic. I *Off.*, 6. Utcis inclusa non sunt Ciceronis, sed auctoris nostri.

(10) Senec. VII, *Benef.* 1.

(11) Cic. II *Off.*, 11.

(12) Id. I *Off.*, 7. Porro in edit. manet hic locus.

(13) Est inter sententias Publilianas n. 763, ubi loco nisi essent legitur *si tollent*. Particula autem *scilicet* addita est, puto, ab Hildeberto.

cium, ex hominum communitate exterminare pestiferum genus hominum; ut enim quædam arripantur membra, si sanguine et spiritu carere cœperint, ne noceant cæteris, sic ista figura hominis sive feritatis et immanitatis belluæ a communi vita segreganda est; sunt enim homines non re, sed nomine (14). » Nam quid refert utrum ex homine quis in belluam se convertat, aut sub hominis figura immanitatem belluæ ferat? **SENECA**: Talibus ergo non est parcondum, nam « iudex damnatur, cum nocens absolvitur (15). » — « Cavenda tamen est maxime ira in puniendo, cum qua nemo tenebit illam mediocritatem, quæ est inter nimium et parum (16). »

De liberalitate.

13. Liberalitas est virtus animi beneficiorum erogatrix, quam eandem pro affectu benignitatem, pro effectu beneficentiam appellamus (17). Hæc virtus tota in distribuendo [et retribuendo] consistit. In tribuendo cave ne sis durus. **SENECA**: « Quis enim homo contentus fuit aut leviter aut semel rogari? quis, cum se prævidit peti aliquid, frontem non abduxit, vultum non averit, occupationes non simulavit? Eodem debetur beneficium, quo datur (18). » *Hilarem enim datorem diligit Deus* (19). « Idcirco non est negligenter dandum beneficium. Nemo autem debet, quod non accepit, sed extorsit (20). » Secundo cave dilationem: « Cum laudabilis beneficiendi datur occasio illico rapiatur: quia dilatio gloriam lugat, et jus comprehendit. Erat, qui sperat eum sibi responsurum, quem dilatione lassavit, expectatione extorsit (21). » — « Ingratum est enim beneficium, quod diu inter dantis manus hæsit; proximus enim est neganti, qui diu distulit: qui tarde fecit, diu noluit. Tantum gratiæ demis, quantum dilationi adjicias, cum nihil roganti suffundatur rubor. Qui hoc remittit, munus suum multiplicat. Optimum est antecedere desiderium ejusque, proximum sequi. Non tulit gratis, qui cum rogaret, accepit. Nihil enim charius emitur, quam quod precibus extorquetur, nam molestum verbum et onerosum et demisso, vultu dicendum est: *rogo*. Omne beneficium victurum, quod obviam venit. Gratius est quod de facili statim, quam quod tarde sumitur de plena manu, nam actori detrahit, quisquis post illum rogandus est. Nihil æque amarum, quam diu pendere. **Æ-**quiori animo feruat quidam spem suam præscindi,

(14) Cic. in *Off.*, 6, in fin. extrema verba tamen sunt ex *ibid.*, 30.

(15) Est pariter inter sententias Publianas, n. 388.

(16) Cic. *1 Off.*, 25.

(17) Cf. Cic. *ibid.*, 7.

(18) Senec. *1 Benef.*, 1.

(19) S. Paulus II *Corinth.* ix, 7.

(20) Senec. *l. c.*

(21) Idem *l. c.* In edit. omittitur integra periodus inter *cave dilationem et errat*.

(22) Senec. *II Benef.*, 1-5, ubi *præscindi et trahi loco præscindi et protrahi*.

quam diu protrahi (22). » Tertio cave ne beneficium obsit quibus datur vel aliis. « Qui enim cuiquam dant, quo obsit, non benefici, neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt... Sunt autem multi tam gloriæ cupidi, quod aliis plus eripiunt, quam quod aliis largiantur. Id vero tantum abest ab officio liberalitatis, ut nil sit magis contrarium (23). » **SENECA**: Ille enim ambitioni dedit, non mihi. **TULLIUS**: « Ea ergo utamur liberalitate, quæ prosit quibus datur, nemini **367** noceat (23). » Quarto cave ne beneficium sit majus tua facultate. « Nam in tali liberalitate sæpe inest cupiditas rapiendi, ut ad largiendum suppetant copiæ. Præterea liberis vel propinquis sit injuria, quibus æquius est copias suppeditari et relinqui, et non in alios transferri (25). » Quinto cave exprobrationem suam. « Inter duos lex est beneficii, quod alter statim debet oblivisci dati, alter nemor esse accepti. Nunquam vir bonus cogitat data, nisi admonitus a redente. Multum obligavit se, qui accipere se putavit, cum daret; dedit tanquam recipiens, recepit tanquam non dedisset. Graves exprobrationes et leves, quos paulo post beneficii pœnitet; gratiam omnem corrumpunt, quibus dicitur: O superbia, nihil a te recipere libet, quidquid das corrumpis (26). » Sexto cave ne habeas malitiosam astutiam ioliciandi. « Dixit Antigonus Cynico petenti talentum, plus esse quam Cynicum deceat petere. Petenti vero nummum dixit, minus esse quam deceat regem dare. Ecce malitiose negabat. Nam poterat dare talentum, quia rex erat, poterat nummum, quia Cynicus ille erat. — Melius Alexander, qui cum daret civitatem quidam dicenti civitatem non convenire humili fortune suæ, respondit: Non quero quod te oporteat accipere, sed quod me dare (27). » Septimo cave ne queraris de ingrato. « Meliorem facies ingratum ferendo, pejorem, conquerendo. Dubiam verecundiam, vox conviciantis clarior, vincit. Nemo timet id quod jam videtur esse. Deprehensus pudor amittitur... Non est ille qualem speravimus, simus quales fuimus, et dissimiles (28). » — « Ingratus est erga unum beneficium, erga secundum non erit. Duorum oblitus est, tertium memoriam dabit eorum quæ a memoria exciderant (29). » Quæ ratio est eum exacerbare, in quem multa contuleris, ut ex amico fiat inimicus (30)? Sis munificus in dando, non acerbus in exigendo (31). Nam cum altius injuriæ quam merita

(23) Cic. *1 Off.*, 14.

(24) Id. *ibid.*

(25) Id. *ibid.* Decet in edit. secunda periodus.

(26) Senec. *II Benef.*, 10-13; parva sunt membra in unum collecta ab auctore nostro. Notandum tamen priori capite citato legi *inter quos lex est*, quod *σφάλμα* esse nemo non videt, legendum cum nostro *inter duos*, ut sensus expostulat.

(27) Senec. *II Benef.*, 17, et *ibid.* 46.

(28) Idem *VI ibid.*, 28 et 29.

(29) Idem *1 Benef.*, 3.

(30) Idem *VI Benef.*, 30.

(31) Cic. *II Off.*, 18.

descendant, quid exspectaret qui offendit [lum obligat]? Officium itaque liberalitatis est dare omni petenti, ac deos imitari. « Si deos imitari aris, da ergo et ingratum, quia et sceleratis ori ur sol, et piratis patent maria... — Dii [ait Seneca] omnium rerum optimi auctores, ignorantibus beneficia dare incipiunt, ingratis perseverant. Non cessant dii beneficia congerere, unam sortiti intentionem, ut prodesse velint. Illos imitemur; demus ergo, licet multa in irritum data sint. Ingratus non mihi injuriam fecit, sed sibi. Nam gratum semper delecta beneficium, ingratum semel. Non est magni animi beneficium dare et perdere, perdere autem et dare magni animi est (32). » — « Virtus est dare beneficia non utique reditura. Malim non accipere, quam non dare; qui non dat quod promittit ingrati vitium ante dicit (33). » Dare enim ut accipias est vendere libertatem. ¶ Ileo si promittis indigno, da, non ut prosis, sed ut dictum tuum redimas. Quamvis omni petenti dare debeat, « in beneficio tamen habendus est delectus dignitatis: in quo et spectandi sunt mores ejus cui datur, et animus gratus erga nos, et cohabitatio, et vitæ societas, et nostras utilitates beneficia ante collata... Et si non vivitur cum perfectis, sed cum simulacra virtutis habentibus, neminem puto negligendum esse, in quo virtutis signa appareant. Colendus est quisquis præsertim in quantum lenioribus virtutibus, scilicet temperantia, modestia, ornatior erit. Nam fortis animus, et magnus in homine non perfecto, nec sapiente plurimum terrentior est quam debeat. In primis plurimum tribuamus ei, a quo plurimum diligamur, ponderandumque est quo quisque animi studio et benevolentia steterit erga nos. Multi enim multa faciunt temeritate quadam sine iudicio vel morbo, vel repentino quasi vento, concitati impetu animi, quæ beneficia neque magna non sunt habenda, sicut ea quæ iudicio considerate constanterque sunt delata (34). » — « Item qui calamitate premitur, alia est ejus causa, alia ejus qui res fieri meliores quærit nullis suis rebus adversis. Propensior debetur benignitas in calamitosos, nisi forte calamitate sint digni. In iis tamen, qui altiore gradum ascendere volunt, omnino restricti esse non debemus (35). Item apud bonos pauperes melius quam divites beneficia collocantur. Nam qui locupletes sunt, beneficio nolunt (36) obligari, sed cum accipiunt beneficium quamvis magnam, se delectasse putant, aut aliquid ab se suspicantur exspectari... Item si malo benefacias opulento, in illo uno aut forte in ejus familia gratia manet; si autem inopi bono benefacias, omnes boni inopes præsidium sibi vident paratum, et [cum

bono inopi benefacias] se exspectari, non suam fortunam arbitrantur. Ileo, si in contentionem veniat res, sequere Themistoclem qui ait: *Malo virum qui pecunia eget, quam pecuniam quæ viro* (37). » Dabimus munera non supervacua. Mulieri non dabimus arma militaria, nec ebrio vina, sed cuicumque dabimus munera suum morbum expulsura (38). Nulla munera tam pretiosa quam rara munera duratura quæramus, quia nunquam admonere debemus. Hactenus hæc attribuentes.

De retributione quæ continetur sub justitia.

14. « Nullum officium referenda gratia est magis necessarium. Nam si jubet Hesiodus majore mensura reddere quam acceperis, quid debemus agere beneficio provocati? Imitari agros fertiles, qui plus reddunt quam acceperunt. Verum si non dubitamus his beneficia conferre, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos qui jam profuerunt? Nam demus vel non demus in nostra est potestate; non reddere, bono viro licet, si id sine injuria facere non possit (39); » cave ¶ ergo primo ne obliviscaris beneficii. « Omnes enim odierunt immemorem beneficii, quemque injuriam sibi etiam fieri putant in liberalitate deterrenda (40). » « Nam ingratus est qui negat se accepisse beneficium; ingratus est qui dissimulat, ingratus est qui non reddit, ingratus est omnium qui est oblitus. Nunquam gratus potest fieri, cui totum beneficium elapsum est memoria. Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui oblivio obrepsit. Nunquam voluit esse gratus, qui beneficium tam longe projecit, et extra conspectum suum posuit. Memoria nihil perdit, nisi ad quod non sæpe respexit. Ileo dico: Ne obliviscaris præteriti beneficii. Ad præterita beneficia pauci animum retorquent. Nemo enim quod fuit in præterito, in pretio ponit, sed tanquam perditum. Si ad iudicem te vocat, incipit non esse beneficium, sed creditum, et cum res honestissima sit referre gratiam, desinit esse honesta, et est necessaria (41). » Secundo cave ne cum injuria ad beneficium accedas; « sunt enim quidam minus grati. Hi aliquid incommodi precari solent his, quibus sunt obligati, ut probent affectum beneficii memorem. Horum affectus est similis pravo amore flagrantibus; illi enim amant optant exilium, ut fugientem comitentur; optant inopiam, ut magis desideranti donent; optant morbum, ut assideant, et quidquid optaret inimicus, amantes rovent. Fere idem est exitus odii et amoris insani; sed iniquum est mergere, ut extrahas, evertere, ut suscites, includere, ut emittas. Non

(32) Senec. *de Benef.* 26, et 7 *ibid.* extr.

(33) *Idem* *de Benef.* 1.

(34) Cic. *de Off.* 11 et 15. Ultima perlocutio in edit. desideratur.

(35) *Id.* *de Off.* 18.

(36) In edit., male, volunt.

(37) Cic. *de Off.* 20. Unctis inclusa omnino redundat ex præcedentibus.

(38) In edit. legitur: *Dabimus munera non exprobrantia cuique morbum suum.*

(39) Cic. *de Off.* 13.

(40) *Id.* *de Off.* 18.

(41) Senec. *de Benef.* 1-7. Totidem sunt sententiae in unam dilatae. Minus recte in edit. exhibentur.

enim cui beneficii finis injuria, nec est meritum A detraxisse, quod qui detraxit, intulerat. » Tertio cave ne festines nimis ostendere te gratum. « Qui antecedit tempus retribuendi æque peccat, sicut qui non sequitur. Quod apud te non vis morari, onus judicas, non munus. Rejiciendi munus signum est aliquod invicem mittere et munere munus expugnare. Pœnitet accepti beneficii quem piget non reddidisse (42). » Quarto cave ne clam gratiam rependas. « Ingratus est qui, remotis arbitris, gratias agit. In primis autem conserva hoc, ut benigne accipias; quia si benigne accipis, gratiam retulisti, non ut solum reputes, sed ut securior reddas. Voluntate enim voluntati satisfacemus, et rei (43). »

De beneficentia.

43. « Rursus beneficentia alia est operæ, alia, pecuniæ. Facilius est hæc posterior, præsertim locupleti: prima splendidior et viro bono dignior (44) ac nulli periculosa. De illa scriptum est: SENECA: Virtus omnibus patet, non quærit domum, non census, nudo contenta est homine (45). » quamvis ultra ne virtus gratum hominem faciat altera tamen ex arca, altera ex virtute depromitur. Item ea, quæ est pecuniæ 970 materiam suam exhaurit. Itaque benignitate tollitur benignitas [donandi]. Hoc quo in plures usus es, eo minus in multos uti possis. Altera consuetudine benefaciendi paratior ad benefaciendum et exercitatior facit. Dum Macedonum favorem pecunia captaret Alexander, scripsit ad eum pater suus Philippus hæc verba: *Quis error in hac spe[m] te rapuit, ut, eos tibi fideles putas, quos pecunia corruperis? Agis ita, ut Macedonas te non regem, sed ministrum et præbitorem suum putent.* Fit quidem deterior qui accipit et ad exspectandum paratior. — Hoc genus benignitatis tamen non est omnino refutandum; nam indigentibus idoneis sæpe de re familiari impertiendum est, sed diligenter, et moderate. Multi enim effuderunt patrimonium inconsulto largiendo. Nihil autem stultius est quam id curare, quod ditius facere non possis, cum libenter facias. Largitiones etiam rapina sequitur, cum enim dando cœperint exere ut et palam alienis bonis manus inferre cogantur, et majora eorum ovis, quibus ademerunt assequantur, quam eorum favores quibus largiuntur. Quam ob rem res familiaris non est ita claudenda ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut patet omnibus. Ideo largiendi modus referatur ad facultates; largitio enim fundum non habet, nam qui consueverunt et alii semper desiderant (46). »

(42) In duobus hisce articulis quoque habentur sententiæ ex eodem auctore fortasse desumptæ, lucis tamen mihi incomperitæ.

(43) Senec. ii *Benef.*, 23 et 35. In edit. minus recte hic postrema leguntur.

(44) Cic. ii *Off.*, 15.

(45) Ex quo loco Senecæ ducta sit hæc sententia, non reperi.

(46) Cic. ii *Off.*, 15 paucis mutatis vel omissis.

De largitione.

16. « Largorum duo sunt genera, nam alii dissipatores et alii liberales. Dissipatores, qui epulis et muneribus histrionum et lenonum copias diffusant, memoriae quarum aut brevem aut nullam omnino sunt relicturi. Liberales sunt qui suis facultatibus aut captos a prædonibus redimunt, aut pauperis amici causa alienum æs suscipiunt, aut amicos in filiarum collatione adjuvant, aut in alia re quaerenda vel augenda (47). » Modo diximus de beneficentia pecuniæ.

De beneficentia operæ.

17. « Beneficentia operæ exercetur juvando consilio, defendendo in causis eloquio. Sed admonendi sunt homines ne cum alios juvare velint, alios offendant. Sæpe enim aut eos lædunt quos non debent, aut eos quos non expedit. Si imprudenter, negligentia est; si prudenter, temeritatis. Uendum est etiam excusatione quæcumque possit apud eos quos invitus offenderis, cum aliter facere non poteris, certique officii id, quod violatum est, reocompensandum erit (48). » TULLIUS: « Sed cum accusatione et defensione constet causa, laudabilior est defensio. Accusatio tamen persæpe probanda est, quam semel tantum et non sæpe suscipere debemus.... Duri enim hominis est, vel potius vix hominis esse videtur periculum capitis inferre multis, sordidum et ad famam, committere, ut accusator nomineris.... Diligenter quoque tenendum est ne innocentem iudicio capitis accuses, quod absque scelere fieri nequit. Nihil est inhumanius, quam eloquentiam ad hominum salutem datam in bonorum perniciem convertere.... Judicis officium est semper verum sequi; patroni vero nonnunquam verisimile, licet minus sit 971 verum, defendere (49). » SALLUSTIUS: Omnes homines autem, qui de rebus dubiis consultant, odio, ira, amicitia, misericordia vacuos esse decet. Animus hand facile verum providet, ubi officium illa (50). » TULLIUS: Nam iudices propter invidiam adimunt diviti, propter misericordiam addunt pauperi. Deponit autem quisque personam amici, cum induit personam iudicis. Videat et iudex ne sermo moribus vitium indicet inesse cum studiosè de absentibus detrahendi causa aut per rillouium aut maledice dicitur aliquid (51). TULLIUS: Curandum est etiam ut eos, cum quibus confavimus sermones, vereri et diligere videamur. Objurationes incidunt nonnunquam necessariæ, in quibus utendum est et vocis contentione et verborum acriori gravitate. Curandum etiam ne videamur ea facere irati, sed ut ad urendum et Cæterum in edit. postrema desiderantur.

(47) Id. *ibid.*, 16.

(48) Id. *ibid.*, 19.

(49) Id. *ibid.*, 4.

(50) S. *illust. Cat.* 51., init.

(51) Quæ hic et infra sub nomine Tullii afferuntur, fortasse Senecæ sunt; locis tamen mihi ignotis. In edit. vero pauca quædam desiderantur.

secundum, sic ad hoc genus castigandi rari atque levissimi veniemus. Sed tamen ira procul ab-ii, cum qua nil recte, nil considerate fieri potest. Significandum est etiam ut illi acerbitalis, quod habet objurgatio, sit susceptum causa illius cui sit. In contentionibus etiam quæ fiunt cum inimicis, si et audiamus nobis indigna, rectum est gravitatem retinere, iram pelleri. Nam quæ perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, nec ab his qui adsunt probari. Deforme est etiam de se ipso prædicare, præsertim falsa, et cum irri-ione audientium inlari militem gloriosum. « In his omnibus mores hominum non fortunam sequi oportebit. Sed quis est, qui causæ inopis et boni hominis non anteponat gratiam fortunati et potentis? A quo enim expeditior remuneratio videtur, in eum est voluntas nostra propensior (52). »

De benignitate.

18. Alia benignitatis est partitio, quæcunque enim virtutes bonis hominibus debitum reddunt, ejusdem benignitatis partes sunt. Reddit enim Deo jus solum religio, pietas parentibus, innocentia minoribus, amicitia vero æqualibus, concordia civibus, reverentia majoribus, misericordia egenis.

De religione.

19. Religio est virtus Divinitati curam et ceremoniam offerens (53). Hujus officium est, primum [TULLIUS]: Perpetrati sceleris pœnitere. [Scelerum si bene pœnitet, eradenda pravæ cupiditatis sunt elementa] et teneræ nimis mentes asperioribus informandæ sunt disciplinis. — Secundum [ideo quia religionis officium est], temporalium mutabilitatem parvipondere. HORATIUS:

Truditur dies die

Novæque pergunt interire lunæ....

Immortalia ne speres monet annus et alium

Quæ rupta hora diem.

Damna tamen celæ res reparant cælestia lunæ:

Nos ubi deridimus.

Quo pius Æneus, quo Tullus dives et Ancus.

Pulvis et umbra sumus

Debemur morti nos nostraque (54).

Tertium officium est vitam nostram ex toto Deo committere juxta illud 972 poetæ JUVENALIS:

Si consilium vis,

Permites ipsis expendere numinibus, quid

Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.

Nam pro jucundis optissima quæque dabunt dii

Charior est illis homo, quam sibi....

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano (55).

« Non tamen volis muliebribus deorum auxilia parantur: sed vigilando, agendo, bene consulendo

(52) Cic. ii Off., 20.

(53) Id. ii Inv., 53, sic habet: *Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque offert.* In Cod. nostro legitur *afferunt.* — Quæ sequuntur minus sana sunt, neque Tulli qui hic citatur locum reper.

(54) Horat. ii Od. 18; iv, *ibid.*, 7. — *Art. poet.* 63.

(55) Juvénal x Sat. 346 350 et 356.

(56) Sallust. *Cat.*, 52.

(57) Senec. *Epist.*, 10.

A prospera omnia cedunt. Ubi socordiae atque ignavia te tradideris, nequaquam deos implores; sunt enim tunc irati et infesti (56). — « Tunc scito, te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut tibi Deum roges, nisi quod rogare possis patiam. Nunc enim hominum est quanta dementia! Turpissima vota diis insusurrant, et si quis aures admovent, conticescent, et a Deo petunt quod scire homines nolunt. Tu vero cum hominibus sic vive, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant (57). » Quantum [religionis officium] est veritatem observare. SENECA: « Nam liberi et servi personam veritas separat, mendacium jungit (58). » TULLIUS: « Ideo hanc virtutem putant [stoici], fidem appellatam, eo quod per eam fiat dictum. Non sunt autem promissa quæcunque observanda, ea scilicet quæ, quibus promiseris, inutilia sunt, vel quæ plus sunt nocitura tibi quam quibus promiseris profutura. Nam contra officium est datum majus anteponi minori, ut si culpam constitueris te advocatum in illius causam venturum, atque interim filios tuos graviter ægrotare cœperit, hoc casu non est contra officium, non facere quod dixeris. Nec deposita semper sunt reddenda. Si quis enim gladium apud te sana mente deposuerit, sed insanus repellerit, contra officium est reddere. Si quis quoque apud te pecuniam deposuerit, ut bellum inferat patriæ, hoc casu depositum non reddas, quia faceres contra rempublicam quæ tibi debet esse charissima. Sic ea quæ natura videntur honesta, temporibus fiunt inhonesta (59). »

De pietate

20. « Pietas est perquam sanguine conjunctis et patriæ benevolis officium et diligens tribuitur cultus (60). » In hujus officia nos duoit ipsa natura. SENECA: « Quemadmodum enim in amorem sui nemo est concitandus: sic nec lex jubet amare parentes, indulgere liberis. Supervacuum enim est in id, quod animus nobis dat, nos impelli (61). » Quocirca plus cavendum est, ne aliquam nostris moliamur injuriam. SALLUSTIUS: « Quem enim alienum inveniris tibi fidum, si tuis fueris hostis (62)? » TERENTIUS: Qui patrem audebit fallere, qualis erit in cæteros (63)?

De innocentia.

21. Innocentia est animæ puritas omnem injuriæ abhorrens illationem. Hac virtute placantur dii. HORATIUS:

Immunis aram si tetigit manus

Non sumptuosa blandior hostia

Mollibit adversos penates (64).

(58) Sententia hæc quo loco habeatur, me latet.

(59) Cic., i Off., 7 et 18, coll. iii, *ibid.*, 25.

(60) Est definitio Cic. ii Inv., 54.

(61) Senec. iv *Benef.*, 47.

(62) Sallust. *Jug.*, 10.

(63) Terent. *Ad.* I, i, 30, ubi sic habet:

Nam qui mentiri, aut fallere insuevit patrem,

Aut audebit, tanto magis audebit cæteros.

(64) Horat. iii Od., 23.

Hanc servare qui volet, omnia scelera, licet parva, A
 973 magna putabit. HORATIUS :

*Nam vitia nemo sine nascitur : optimus ille est
 Qui minimis urgetur (65).*

JUVENIUS :

*Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
 Permittit : adeo indulgent sibi latius omnes (66).*

Hujus est officium multos allicere nullius læsione.

SENECA : « Jam multis minatur, qui unum offen-
 dit (67). » Aliud est officium, actionem non ques-
 rere. SENECA : « Ridiculum est enim odio nocentis
 innocentiam perdere (68). » Neque scelus est sce-
 lere vindicandum. SALLUSTIUS : « Multos pesumde-
 dit, quod suas injurias acerbius ulcisci voluit (69). »

De amicitia.

22. « Amicitia est bona voluntas erga illum qui
 diligitur causa illius (70). » Hujus officium est idem B
 velle in honestis rebus, et idem nolle. Alterum of-
 ficiū est secreto admonere amicum, palam lau-
 dare. TULLIUS : Hæc quidem est lex amicitia, ut ne-
 que rogemus, res turpes, neque rogati faciamus. SE-
 NECA : Altera lex est, « ut cum amico cuncta deli-
 beres; sed prius de ipso (71). » Tertia est, ne la-
 bores nosse quod ipse vult latere. Dissimulare enim
 est magis humanum, quam dare operam id scire
 per quod nos oderit amicus. Quarta est ne asperitas
 amicitiam dirimat, juxta illud poetæ LUCANI :

*Adversis non deesse decet, sed laeta secutos
 Nulla fides unquam miseris elegit amicos (72).*

SENECA : « Si autem vis amari, ama (73). »

De reverentia.

23. Reverentia est gravibus personis vel aliqua C
 prærogativa sublimatis debita honorificationis ex-
 hibens cultum (74). Hujus est officium majores imi-
 tari. « Optimum enim est vestigia majorum imitari,
 si recte præcedant (75). » — « Eligendus est nobis vir
 bonus, et ante oculos semper habendus, ut sic, tan-
 quam illo spectante, vivamus, et omnia, tanquam
 illo vidente, faciamus.... Major enim peccatorum
 pars tollitur, si peccantis testis assistit (76). » — « Ideo
 nullum locum putaveris esse sine teste (77). »

De concordia.

24. Concordia est virtus concives et compatriotas
 et in eodem jure cohabitantes ultro conjungens.
 Hujus hæc officia sunt, ut præclare scriptum est a

(65) Horat. i Sat., 3, 6, 8.

(66) Juvenat. xiv; 2, 33, ubi loco omnes legitur D
 ipsi. Varia lectio non spernenda.

(67) Senec. sive Publ. Syrus in *Mimis* II. 485,
 ubi pro qui unum offenditur legitur : qui uni facit
 injuriam.

(68) Idem *ibid.*, n. 834.

(69) Sallust. *Jug.*, 42.

(70) Cic. II *Inv.*, 55, ubi : *Amicitia voluntas erga
 aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa, quem
 diligit, cum ejus pari voluntate.*

(71) Senec. *Epist.*, 3.

(72) Lucan. VIII, 534, 535.

(73) Senec. *Epist.*, 9.

(74) Cf. Cic. II *Inv.*, 53, ubi aliis prorsus verbis
observantia dicitur, per quam homines aliqui dignitate
antecedentes, cultu quodam et honore dignantur.

(75) Senec. sive P. Syr. in *Mim.* n. 613, ubi ha-
 bes : *Optimum est majorum vestigia sequi si recte*

PLATONE : « Non nobis pati sumus solum, ortuque
 nostri partem patria vindicat, partem amici; at jus
 (ut stoicis placet) omnia ad hominis usum crean-
 tur, et homines hominum causa creantur, ut ipsi
 inter se alii aliis prosint. Ideo in hoc naturam se-
 qui ducenti debemus, communes utilitates in medium
 asserre, devincire hominum inter homines societa-
 tem mutatione officiorum, dando, accipiendo tum
 scilicet, tum facultatibus, tum opera (78). » — « tum
 multa multis de suo jure cedendo. Est enim non
 modo liberale, sed etiam interdum fructuosum
 paululum de suo jure decedere (79). » — « Nam con-
 cordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dila-
 bantur (79). »

De misericordia.

25. Misericordia est virtus per quam animus so-
 per calamitate movetur officiorum. « Hæc virtus
 nihil humani a se putat alienum (80); » juxta illud
 Pauli apostoli : *Quis infirmatur et ego non infir-
 mor (81)?* Aliorum incommoda vel damna extin-
 gua. « Qui in calamitosum misericors est, sui me-
 minit (82). » — « Est tamen difficilis cura rerum alie-
 narum (83). »

De truculentia et negligentia.

974 26. Duobus præfatis justitiæ generibus,
 scilicet severitati et liberalitati, duo opposita justitiæ
 genera cavere oportet, scilicet truculentia et negli-
 gentia. Truculentia est justitia non meritam inju-
 riam inferens : negligentia est non propulsare in-
 juriam cum poseit et debeat. Est autem negligentia
 severitati contraria. Contraponuntur enim defendere
 et defensionem contemnere. Similiter truculentia
 liberalitati repugnat ; repugnat enim beneficium
 dare et injuriam irrogare. Causæ truculentia sunt
 metus, avaritia, ambitio. Metus, cum is qui nocere
 alteri cogitat, timet ne, nisi id fecerit, ipse afficiat-
 ur incommodo. Avaritia est cum homines aggre-
 diuntur injuriam, ut adipiscantur ea quæ cupiunt.
 SALLUSTIUS : « Ambitio quoque [id est prælationum
 amor] multos mortales fieri falsos cogit ; aliud
 clausum in pectore, aliud in lingua promptum ha-
 bere : amicitias, inimicitiasque non ex re, sed
 ex comodo, aestimare ; magisque vultum quam
 ingenium bonum habere (84). » Est autem in hoc
 præcesserint.

(76) Id., *Ep.*, 41, ubi pro peccatis legitur pecca-
 turis.

(77) Id., sive P. Syrus in *Mim.* n. 574.

(78) Plato, scilicet ap. Cic. I *Off.*, 7.

(79) Id. II *ibid.*, 18.

(79*) Sallust *Jug.*, 10.

(80) Cic. I *Off.*, 9 sic habet : *Est difficilis cura
 rerum alienarum, quonquam Terentianus ille Chremes
 humani nihil a se alienum putat.* Porro Terent.
Heaut. I, 1, 25 dixit :

Homo sum : humani nihil a me alienum puto.

(81) Paulus II *Corinth.* XI, 29.

(82) Hæc inter sententias Publilianas locum ha-
 bere possent. Unde sumpta incompertam.

(83) Ex Cic. loco supra citato.

(84) Sallust. *Cat.*, 10, ubi legitur *subegit* loco co-
 egit, uti in nostro codice. Male vero in edit. legitur
 nullum loco vultum.

genere molestum, quod in magnanimis et munificis sæpius incidit potentis cupiditas. Magnanimitas autem promptiores facit ad impugnandum, munificentia vero plura dat illi auxilia, unde ex eorum ambitione majus provenit dignitum quam ex ambitione pauperum. Propterea verum est illud LUCANI :

*Nulla fidei regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.*

Proh ! cæcus et amens

Ambitione furor !

*Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus : ibi fas, ubi maxima mer-*
[cos (85).

Dividitur autem truculentia in vim et fraudem. Fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur ; utrumque ab homine aliudissimum est : sed fraus studio digna majore ; totius enim injustitiæ nulla pestis capitalior est, quam eorum qui, maxime cum sal- lunt, id agunt ut viri boni videantur. Idecirco HORATIUS :

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes (86).

Et JUVENALIS :

*Hispida membra quidem, duræ ast in corpore setæ,
Promittunt atrocem animum.*

*Fronti nulla fides. Quis enim non vicus abundat
Tristibus, obscenis (87) ?*

Prætermittendæ autem defensionis, id est negligentis, hæc sunt causæ. Nam aut inimicis aut laborum sumptus suscipere nolunt, aut suis occupationibus sic detinentur, aut odio ita elongantur, ut eos quos tueri debent, desertos esse patiantur. Tutius autem est bonum hominem, quam malum negligere : bonus tantummodo sit segnior, ubi negligas, malus improbius. Tutius quoque est negligere locupletem, quam calamitosum. TERENCEIUS :

Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt,
[nescio quomodo,

*Suspiciosi, ad contumeliam omnia arripunt minus,
Propter suam impotentiam se semper credunt na-*
[gigi (88).

In omni autem injustitia malum interest, 975 utrum animi perturbatione an consulto fiat injuria, perturbatio est enim plerumque brevis et ad tempus : ideo leviora sunt quæ repentino motu accidunt quam ea quæ præmeditata inferuntur.

DE FORTITUDINE.

27. Fortitudo est virtus impetus fortunæ retundens. Hujus autem partes sunt hæc : magnanimitas, fiducia, securitas, magnificentia, constantia, patientia. Magnanimitas est spontanea et rationalis

A difficilium aggressio ; fiducia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam ; securitas est incommoditates imminentes et inchoatæ rei non formidare finem ; magnificentia est difficilium et præclarorum consummatio, constantia est stabilitas animi firma et in proposito perseverans ; patientia est contumeliarum et omnis adversitatis æquanimis tolerantia (89).

De magnanimitate.

28. Ad magnanimitatis officia persuadet dicens poeta :

..... componite mentes

Ad magnum virtutis opus summosque labores (90).

Et alius poeta :

*Virtus recludens immeritis mori,
Cælum, negata tenet iter via,*

Et æque vulgares et vulum

Sperni humum fugiente penna (91).

TULLIUS : « Hæc virtus, cum ad aspera incedenda aliquem promptum faciat, communem utilitatem quam suam potius attendit. Sicut enim scientia, quæ est remota a justitia, potius quam sapientia est appellanda calliditas ; sic animus ad pericula paratus, si sua cupiditate non communi utilitate impellitur, temeritatis potius nomen quam fortitudinis habet (92). » Hæc virtus torporem sic excitat. LUCANUS :

Tolle moras, semper nocuit differre paratis (93).

HORATIUS :

Incipe : vivendi qui recte prorogat horam

Rusticus exspectat dum diffluat omnis, at ille

Labitur et labeitur in omne volubilis ævum (94).

PERSEUS :

Cras fiet, idem cras fiet, quid ? Quasi magnum

Nempe diem donas, sed cum lux altera venit,

Im cras hesternum consumimus : ecce aliud cras

Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra (95).

Hujus officium signat philosophus TULLIUS : « Magnanimi sunt habendi non qui non faciunt, sed qui propulsant injuriam (96). » In hac virtute prima est cautela avaritiæ. « Non est enim consentaneum qui metu non frangitur, illum cupiditate frangi, nec qui invictum se a laboribus præstitit, cum voluptate vel cupiditate vincit (97). » Secunda est cautela ambitionis ; per difficultates enim quæritur claritudo. « Quo aliquid difficilium, eo præclarium ; vix enim invenitur qui, laboribus susceptis, non quasi mercedem desideret gloriam (98). » Virtutis autem fructum sapiens in conscientia, stultus in gloria ponit. Per gloriam enim ad prælationes se arbitrantur ascensuros. « Vera autem magnitudo se magis vult esse principem quam videri. Qui au-

(91) Horat. in Od. 2, 21 seqq.

(92) Cic. i Off. 19, levibus mutationibus.

(93) Lucan. 1, 281. Locus iste desideratur in edit., sicut etiam quatuor alii, quæ sequuntur ex ordine.

(94) Horat. i Epist., 2, 41-43, ubi : qui recte vivendi.

(95) Pers. v. 66-69.

(96) Cic. ibid., ubi non secundo loco desideratur.

(97) Idem ibid., c. 20.

(98) Idem ibid., c. 19.

(85) Lucan. 1, 92 ; x 147, 407.

(86) Horat. Art. poet., 437.

(87) Juvenal. ii, 11, ubi prior versus :

Hispida membra quidem et duræ per brachia setæ.

Et ita quoque in edit. — Et ibid. paulo supra.

(88) Terent. in Adelph. IV, iii, 14-16.

(89) Hæc definitiones conferendæ sunt cum illis,

quas tradit Cic. ii Inv., 51 Variatim pluribus editio,

Sic in fine legit : *Patientia est virtus contumeliarum*

et omnis adversitatis impetus æquaminiter portans.

(90) Lucan. ix, 380

tem errore multitudinis imperitæ pendet, in magnis A
viris non est habendus (99). » Per gloriam ideo non
sunt querendi honores. Verum est enim illud
poeta :

*Virtus repulæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit securam
Arbitrio popularis auræ (100).*

Tertia est cautela temeritatis. « Temere 976
namque in acie versari et manu cum hoste confi-
gere immane quiddam est et belluarum simile. Si
tamen necessitas postulaverit, decertandum erit et
mors turpitudini anteponenda... Nunquam enim
fugæ periculi committendum est, ut imbecilles et
timidi videamur (1). » Unde verum est illud Lu-
cans :

Ignavum scelus est tantum fugæ (2).

TULLIUS : « Fugiendum tamen est, ut nos mori
vel periculis sine causa non offeramus, quo nihil
est stultius. In adeundis ergo periculis medicorum
consuetudinem imitemur : illi enim leviter ægro-
tantes leviter curant, gravioribus autem morbis
incipites curationes adhibere coguntur. Quare in
tranquillo tempestatem adversam optare, dementis
est ; subvenire autem tempestati quavis ratione,
sapientis, eoque magis si plus adipiscaris, re expli-
cata, boni, quam formidata, mali (3). » Verum est
enim quod in poeta legitur.

*Vis consilii expertis mole ruit sua.
Vim temperatum dii quoque provehunt
In majus : idem o-lare vires
Omne nefas animo moventes (4).*

De fiducia.

29. Fiduciam officium est ad consummationem
rei festinare.

*Nil credens actum, cum quid superasset agen-
[dum (5).*

Nil enim minus decens propectis quam non per-
venire ad ulteriora.

De securitate.

30. Securitatis est officium contra fortunæ aspera
solatium dare. Juxta id HORATIUS :

*Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus : informes hiemes reducit
Jupiter, idem
Summovet, non si male nunc et olim
Sic erit.*

Grata superveniet quæ non sperabitur hora (6).

(99) Cic. l. c. In edit. legitur principem se esse
mauult quam videri. In nota vero marginali loco
errore emendat ex ore, quod non improbandum.

(100) Horat. III Od., 2.

(1) Id. ibid., c. 23 et 24 init.

(2) Lucan. IX, 283.

(3) Cic. I Off. 24, ubi variæ perpendendæ sunt
lectiones. Se in advertendis periculis legitur loco
in adeundis.

(4) Horat. III Od., 4.

(5) Lucan. II, 657.

(6) Horat. II Od., 10 — I Epist., 4, 14.

(7) Inter Excerpta Senecæ, quibus titulus est : *De
remediis fortuitorum liber*, quem alii Martino Bra-
carensi tribuunt, hic dialogus pariter invenitur, sed
angitur inter *Sensum et Rationem*. Hoc opus pler-

Contra hanc virtutem timor sic conflictat.

DIALOGUS INTER SECURITATEM ET TIMOREM (7).

31. TIMOR inquit : Morieris.

SECURITAS : Ista est hominis natura non pœna.
Hæc conditio intravi ut extremam.

Ti. Morieris.

SEC. Lex gentium est reddere quod acceperis.

Ti. Morieris.

SEC. Vita hominis est peregrinatio : cum multum
ambulaveris, demum est redeundam.

Ti. Morieris.

SEC. Stultum est timere quod vitare non pos-
sum.

Ti. Morieris.

SEC. Putabam te aliquid novi dare ; ad hoc veni,
B hoc ævo, hæc me docent singuli dies. Mibi nascenti
hunc in mundo terminum natura proposuit. Quid
habeo quod indignor ?

Ti. Morieris.

SEC LUCANUS :

*. mors ultima pœna
Non metuenda viris (8)*

Ti. Morieris

SEC. Mortem non effugit etiam qui distollit.

Ti. Morieris.

SEC. Nec primus nec ultimus ; multi me anteces-
serunt, multi sequentur.

Ti. Morieris.

SEC. Hic est finis humani officii.

Ti. Morieris.

C SEC. Scio me esse animal rationale et mortale.

Ti. Morieris.

SEC. Nil grave, quod semel.

Ti. Morieris.

SEC. Hæc conditio omnia signantur, ut quidquid
cepit desinat.

Ti. Morieris.

SEC. Nemo mortaliū istud mihi minari potest.

Ti. Morieris, decollaberis.

SEC. Nil refert an cæsim moriar, an punctim.

Ti. Sæpe ferieris, et multi gladii convertentur
in te.

SEC. Nil refert quam multa sint vulnera, unum
solum est mortiferum.

Ti. Peregre morieris.

SEC. Unicuique ad cælos una est via (9).

D que Senecæ abjudicant, licet omnia illius esse con-
clament, ex variis scilicet locis ex ejus libris de-
sumptis consarcinatum ; ut videre erit si singula
reapse expendantur. Fatendum tamen est quæ-
dam etiam ex aliis auctoribus accessisse ; præ-
sertim in nostro, ut ex lectione compertum erit.
In codice insuper nostro distincte interlocutores
afferuntur ; et plura quoque habentur, quæ in editis
desiderantur.

(8) Lucan. VIII, 355. Desideratur in editis Senecæ
Excerptorum.

(9) In editis Senecæ : *Undecunque ad inferos una
est via*. In nostra vero editione alia responsio sub-
ditur interrogationi : *Peregre morieris, scilicet : Non
gravior fortis, quam domi somnus*. Reliquæ omittuntur
usque ad locum Juvenalis.

Tr. Peregre morieris.

Sec. Ego paratus sum persolvere ubicunque appellaverit fœnerator.

Tr. Peregre morieris.

Sec. Nulla terra aliena morti.

Tr. Juvenis morieris.

Sec. Hoc unum æqual juvenis seni.

Tr. Juvenis morieris.

Sec. Optimum est mori, quam vivere juvat.

Tr. Juvenis morieris.

Sec. Optimum est mori priusquam optes, ut ait

JUVENALIS :

*Hæc data pœna diu viventibus, et renovata
Semper clude domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœnore, et nigra veste senescant (10).*

Et LUCANUS :

*Nonni summa dies pariter cum fine bonorum
Assuit et celeri prævertit tristia letho,
De lecori est fortuna prior. Quisquamne secundis
Trahere se fatis audet, nisi mors parata (11)?*

Tr. Juvenis morieris. **§ 17**

Sec. Fortasse alicui me malo fortuna subducit ut nulli alicui certe vel senectuti.

*Non præmaturi cineres, non funus acerbum
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus (12).*

Tr. Juvenis morieris.

Sec. Non refert quot annos habeam, sed quot acceperim; si plus vivere non possum, hæc est nostra senectus; quicumque ad extremum sui fati venit senex moritur.

Tr. Insepultus jacebis.

Sec. *facilis jactura sepulcri (13).*
. *Taberne cadavera solvat,*

*An rogas, haud refert: placido natura receptat
Cuncta sinu, finemque suum sibi corpora debent....
Liberæ fortunæ mors est: capit omnia tellus
Quæ genuit: celo tegitur, qui non habet urnam (14).*

Tr. Insepultus jacebis.

Sec. Si nihil sensero, non pertinet ad me jactura corporis insepulti. Si sensero, omnis sepultura tormentum est.

Tr. Insepultus jacebis.

Sec. Nihil refert an ignis, an fers, an tellus (15) me consumat. Ultima omnium sepultura est.

Tr. Insepultus jacebis.

Sec. Quid jure tutissima trepidas (16)?

Tr. Insepultus jacebis.

Sec. Non defunctorum causa, sed vivorum inventa est sepultura, ut corpora visu et odore scelerata removeantur, in quo parcitur nostris oculis.

Tr. Ægrotabis.

Sec. Venit tempus, quo experimentum mei ca-

A piam. Non in mari tantum aut in prælio vir fortis apparet; exhibetur et in lectulo virtus.

Tr. Ægrotabis.

Sec. Aut ego febrem, aut ipsa me me relinquet, cum morbo mihi est res; aut viacet, aut vincetur; semper esse non possum.

Tr. Male de te loquentur homines.

Sec. Moverer, si judicio hoc facerent, nunc morbo faciunt; qui enim nesciunt bene loqui, faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Æquo animo audienda sunt imperitorum convicia et ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.

Tr. Exulabis (17).

B **Sec.** Erras: cum omnia fecerim, patriam relinquere non possum; omnium una est patria, extra quam nemo proficisci potest.

Tr. Exulabis.

Sec. In quamcunque terram venero, in meam venio. Nulla terra exilium, sed altera patria.

Tr. Non eris in patria.

Sec. In patria sum, ubicunque bene sum. Id autem, per quod bene es, in homine est, non in loco.

Tr. Dolor imminet.

Sec. Si exiguus est, feramus, quia levis est patientia; si gravis, feramus, quia non levis est gloria.

Tr. Dura res dolor.

Sec. Immobilis, si adest patientia (18).

Tr. Pauci possunt ferre dolorem.

C **Sec.** Simus ex illis paucis.

Tr. Imbecillis naturæ sumus.

Sec. Naturam infamare noli. Illa nos fortes genuit.

Tr. Suavis est mihi paupertas.

Sec. Imo tu paupertati, non in paupertate vitium est, sed in paupere.

Tr. Pauper sum.

Sec. Non es pauper, sed videris. Nihil deest avibus, pecora in diem vivunt. Grandis pecunia, grandis superbia.

Tr. Non sum potens.

Sec. Gaude, non eris impotens.

Tr. Grandem pecuniam habet ille.

Sec. Hominem illum esse judicas? Arca plena est; ille, quem putas dominum pecuniæ, loculus est.

Tr. Multum habet ille.

Sec. Si est avarus non habet, si est prodigus, non habebit. Ille quem felicem credis, sæpe dolet, sæpe suspirat.

(10) Juvenal x, 243.

(11) Lucan. viii, 29. Prior versus sic legitur:

Imperio nisi summa dies cum fine bonorum.

(12) Juvenal xi, 44

(13) Virgil. II Æt. 616.

(14) Lucan. vii, 909 911 et 918, 919. In edit. tantum ex hoc loco verba leguntur:

Cælo tegitur, qui non habet urnam.

(15) Cod., rectius, *tempus*. Porro in edit. quinque lineæ sequentes desiderantur.

(16) Hoc sibi ipsi respondet Securus.

(17) In edit. desiderantur octo lineæ quæ sequuntur.

(18) In edit. loco *immobilis* legitur: *Imo tu mollis.*

Ti. Multi comitantur illum.

Sec. Meli muscæ sequuntur, cadavera lupi, fragmenta formicæ; prædam sequitur ista turba, non hominem.

Ti. Pecuniam perdidisti.

Sec. Fortasse te illa perdidisset.

Ti. Pecuniam perdidisti.

Sec. Habebis in munus perdere.

Ti. Pecuniam perdidisti.

Sec. O te felicem! Si cum illa avaritiam perdidisti.... sed si manet illa apud te, felicitior es tamen, cum materia subducta est tuo malo.

Ti. Pecuniam perdidisti.

Sec. Illam perdidit alius, ut tu haberes.

Ti. Pecuniam perdidisti.

Sec. In via eris expeditior, domi tutior.

Ti. Oculos perdidisti.

Sec. Sed habet et non voluptates suas. 978

Ti. Oculos perdidisti.

Sec. Habet mens oculos suos, per quam multis cupiditatibus via est pretiosa. Multis rebus carebis, quas ne videres eruendi erant. Pars innocentiae est cæcitas. Huic oculi monstrant adulterium, huic domum quam concupiscat, huic urbem.

Ti. Liberos perdidisti.

Sec. Stultus qui mortalium desinet mortem, perierunt perituri, recepit eos Deus, non abstulit. In hunc modum nunquam libere consilium daturus timor cum virtute bellum finivit.

32. Verum est quod legitur in Horatio :

*Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida (10).*

LUCANUS :

*.... Nullos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali; fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda puti (20).*

« Fortis et constantis animi est, non perturbari in rebus adversis, nec tumultuantem de gradu dejecti, sed præsentis uti consilio nec a ratione discedere (21). » Plura enim sunt quæ nos terrent, quæ nos premunt, et sapius opinione quam re laboramus; ideo ne sis miser ante tempus, cum ista, quæ velut imminetia expavisti, fortasse nunquam ventura sint.

De magnificentia.

33. Magnificentiae officia partim sunt pacata, partim bellica. In pacatis duo præcepta Platonis tenenda sunt prælati: « unum ut utilitatem civium sic tuantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant, suorum oblitum commodorum: alterum, ut to-

(19) Horat. III Od., 3.

(20) Lucan. VII, 104.

(21) Cic. I Off., 23.

(22) Id. ibid., 25.

(23) Id. ibid., 11.

(24) Id. ibid., 21, in fin.

(25) Terent. Eun., IV, VIII, 19; IV, VI, 25.

(26) Cic. I Off., 21.

Atum corpus civitatis eurent ne, dum aliquam partem tuentur, reliquas deserant.... Qui enim partem consulunt, partem deserunt, perniciosam seditio-nem in civitatem inducunt... Caveant et contentio-nem. Dicit enim Plato, eos similiter facere, qui inter se contendunt uter potius civitatem ministret; ut si naves decertarent quis eorum navem potissimum gubernaret (22). » In bellicis autem officiis illud est primum, « bellum ex intentione susci-pere, ut sine injuria in pace vivatur (23). » Secun-dum, « priusquam aggrediari, adhibere diligentem præparationem (24). » Longa enim belli præparatio celerem affert victoriam. Hic autem præparatus in quatuor cernitur rebus: in clientelis, municipiis, sompitiis et verbis.

B TERENCE :

*Omnia prius experiri verbis, quam armis sapientem
[debet.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta
[injuria (5).*

Tertium officium est, « ne desperes propter igna-viam, aut nimis contidas propter cupiditatem (26). » Ducit enim in pericula immoderatus amor habendi. Juxta id HORATIUS :

*Aurum per medios ire satellites
Et perumpere amat saxa potentius
Ictu fulminis...*

*munera...
Sævos illuqueant duces (27).*

Quartum est plus turpitudinem quam mortem horrere; plus ad honestatem quam ad salutem vel ad alia commoda spectare. Quintum est corpus suum crebris exercere laboribus.

Vanam semper dant otia mentem (28).

Sextum est, postquam 979 ad bellandum ventum est, hortando bonam indolem erigere, modo laudibus animus efferre, monitionibus desidia discutere.

Septimum est in concursu ad primos impetus accurre-re, inclinatis opem ferre, labantes ope fulcire. Octavum est, « eos parta victoria conservare, qui nec crudeles, nec immanes fuerunt (29). » Nonum vero scœdera servare et promissa, nec his est acquiescendum dicentibus: Nil refert an dolo an vir-tute hostes quis vincat (30). « Iudicat hoc Regulus, qui captus a Pœnis, cum de captivis commutandis Romam missus esset, juravit se rediturum. Hic Ro-manam ubi venit, non censuit captivos esse reddendos: dein cum retineretur ab amicis, maluit ad supplicium redire, quam fidem datam fallere (31). » « Cum autem plures arbitrantur res bellicas esse majores quam urbanas, minuenda est hæc opinio; multi enim bella quæsierunt propter gloriæ cupidi-tatem... Si autem velimus vere judicare... parvi sunt,

(27) Horat. III Od., 16.

(28) Lucan. IV, 704. Ubi *variam*; sed etiam alii cum nostro sunt qui ibidem legunt *vanam*.

(29) Cic. I Offic., 11.

(30) In edit. legitur: *Non enim acquiescendum et qui dicunt:*

Dulce an virtus quis in hoste requira?

(31) *Ibid.*, 13, seqq.

arma foris, si non sit consilium domi (32). » Contra tales, SALLUSTVS: « Omnes homines, qui esse student præstare cæteris animalibus, summa ope niti decet, ne transeant viam silentio, veluti pecora. Sed omnis naturæ vis sita est animo et corpore, animi imperio, servitio corporis magis utimur. Rectius videtur ingenii, quam virium opibus gloriam querere (33). » « Omnino enim id honestum, quod animo excelso querimus, animi efficitur, non corporis viribus; exercendum est tamen corpus, ut obedire consilio et rationi possit (34).

De constantia.

34. Constantiæ vero est officium in utraque fortuna gravitatem tenere. « Præclara enim est in omni vita eadem frons et idem vultus; nam argumentum bene compositæ mentis est posse consistere, et secum morari (35). » Unde HORATIUS:

*Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiâ.*

Item:

*Rebus angusti animosus atque
Fortis apparet; sapientior idem
Contraheo vento nimium secundo
Turgida vela (36).*

Hæc quidem lex est constantiæ, ut nec in malis constantes, nec in bonis vagi simus. Est enim in malis constantia, quæ non est virtus.

Unde HORATIUS:

*Pars hominum vitiiis gaudet constanter, et urget
Propositum: pars nulla natat, modo recta capescens
Interdum pravis obnoxia (37).*

Et JUVENALIS:

*Mobilis et varia est semper natura malorum:
Cum scelus admittunt, superest constantia. Quid fas,
Atque nefas; tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus; tamen ad mores natura recurrit
Damnulos, fixa et mutari nesciit. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Ejectum semel atrita de fronte ruborem?*

*Quisquam hominum est, quem tu contemptum videris
[uno
Flagitio (38)?...*

35. Huic virtuti contra ponitur inconstantia, quæ est motus animi circa varias occupationes. In quo vitio adeo sine intermissione laborant quidam, ut dicatur eorum constantia esse instabilis. « Sunt enim qui rebus in contrariis parum sibi constant: voluptatem severissime contempnant, in dolore sint molliores: gloriam negligant, frangantur infa-

(32) Cic., 1, Off. 22.

(33) Sallust., Cat. init. In edit. legitur: *De talibus audi poetam dicentem: Omnes homines, etc.*

(34) Cic., 1 Off. 23.

(35) Senec., Epist. 2. Prior tamen periodus hic non habetur; fortasse huc transtulit auctor ex alia Senecæ epistola vel ex alio libro.

(36) Horat., 11 Od. 3; *ibid.* 10.

(37) Idem, 11, Sat. 7. 6.

(38) Juvenal., XIII, 13, 236-244. Ubi legitur *ferme loco semper.*

(39) Cic., 1 Off. 21.

(40) Horat., 1 Epist. 1, 97-100.

(41) Idem 1 Epist. 8, 11. — *Ibid.* 14, 13. —

39). » Hoc vitium arguit poeta HORATIUS:

*... Quid mea cum pugnat sententia secum:
Quod petiit, spernit; repelit quod nuper omisit
Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mulat quadrata rotundis (40)?*

IDEM:

*Romæ Tibur amem ventosus, Tibure Romam. —
In culpa est animus, qui se non effugit unquam....
Cælum non animum mutant qui trans mare currunt...
Quo teneam nodo mutantem Protea vultus (41).*

Ex hoc uno oritur quod nemo sua sorte contentus vivat, sed laudet diversa sequentes; unde HORATIUS:

*Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam scilicet uterque, libens, censebo, exerceat artem.
Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est (42).*

De patientia.

35. Patientiæ monstrat officium qui dicit LUCANUS:

*Gaudet patientia duris.
Lætius est, magno quoties sibi constat, honestum (43).*

Hæc virtus est remedium injuriarum. Nam

Levius fit patientia,

Quidquid corrigere est nefas (44).

sicut contra impatientia sortem exacerbabis cum mutare non possis. Idem TERENTIUS:

*Quod fors feret, feremus æquo animo.
.... Inscitia est,
Adversum stimulum calces (45).*

SENECA: « Asperum medium intemperans facit æger. » Adde hoc: « Nulla res est tam facilis, quæ non fiat difficilis, si facias invitus. »

DE TEMPERANTIA.

36. « Temperantia est dominium rationis in libidinem et in alios motus importunos (46). Hæc quidem virtus totius vitæ ornatus est, omniumque perturbationum sedatio. Hanc suadet HORATIUS:

*Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acetis.
Sperne voluptates: nocet empti dote voluptas.
Semper avarus eget; certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis.
..... Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, et mens.
Ira furor brevis est; animum rege, qui nisi paret,
Imperat: hunc fremis, hunc tu compesce catena (47).*

Hujus autem partes sunt, quæ in sædis motibus dominantur, scilicet modestia, verecundia, abstinentia, honestas, moderantia, parcitas, sobrietas, pudicitia.

De modestia.

37. Modestia est virtus conservans cultum et om-

Ibid. 11, 27. — *Ibid.* 1, 90. Ubi legitur: *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?*

(42) Horat., 1 Epist. 14, 43. — *Ibid.* 7, 98.

(43) Lucan., IX, 403.

(44) Horat., 1 Od. 24, in fin.

(45) Terent., Phorm. I. II, 88. — *Ibid.* v. 27. In edit. *Inscitia est enim adversus stimulum ut calcitres.* Quæ sequuntur dum sunt sententiæ ex Senecæ excerptis locis mihi incomptis.

(46) Cic., 11 Inv. 54. ubi tamen partes ejus tantum tres statuit, scilicet continentiam, clementiam et modestiam. Alias addidit auctor noster.

(47) Horat., 1 Epist. 2, 54-63.

nem motum et nostram occupationem ultra defectum et citra excessum, 981 De hac dicit HORATIUS :

*Est modus in rebus : sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum* (48).

TULLIUS : « In cultu autem observandum est ut a forma hominis removeatur omnis viro indignus ornatus (49). » SENECA : « Malus exterior ornatus male compositæ mentis est nuntius. » TULLIUS : « Adhibenda est munditia non odiosa, nec nimis exquisita ; tantum quæ fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. Motuum alius est corporis, alius animi. In corporeo cavendum est ne tardationibus adeo molli egressu utamur, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus non suscipiamus nimias celeritates ; quæ cum sunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur ; ex quibus significatur constantia non adesse. Motus autem animorum duplices sunt, cogitationis et appetitus. Voluntatis cogitatio in vero exquirendo exercetur, appetitus impellit ad agendum. Curandum igitur est ut ratio præsit, appetitus obtemperet. Si enim appetitus non parent rationi, cui sunt subjecti lege naturæ, non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui metu commoti sunt, aut voluptate gestiunt ; quorum omnium vultus, voces, motus, status mutantur (50). » Nam iræ flammis cor accensum palpitat, corpus fremit, lingua se protendit, facies ignescit, oculi exasperantur et non recognoscuntur noti, unde JUVENALIS :

*Dependas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, dependas et gaudia, sumit utrumque
Inde habitum facies* (51).

Ex quibus intelligitur omnes appetitus esse contrahendos et sedandos.

38. Occupationes autem pro diversitate morum, ætatum, negotiorum variæ sunt. Quemadmodum enim in corporibus multæ sunt dissimilitudines ; nam alios videres velociores ad usum, alios viribus ad luctandum valere, sic in animis majores sunt morum varietates. Quibusdam enim lepos inest, et fandi urbanitas ; his hilaritas, illis securitas ; alios vero videres callidos ad simulandum et ad celandum ; sunt alii simplices et aperti, qui nihil in occulto, nihil insidiis agendum putant ; veritatis cultores, fraudis inimici. Quid singula in memorem ? PERSIUS :

*Mille hominum species, et rerum discolor usus :
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno* (52).

TERENTIUS :

Quot homines, tot sententiæ, suus cuique mos (53).

(48) Horat., 1 Sat. 1, 109.

(49) Cic., 1 Off. 36

(50) Id., ibid. — Ibid. 29.

(51) Juvenal., ix, 18.

(52) Pers., v, 52.

(53) Terent., Phorm. II, iv, 14.

(54) Cic., 1 Off. 21, non tamen eodem ordine,

TULLIUS : « Ad quas igitur vel erimus magis apti in his potissimum occupati simus... Et licet alia meliora et graviora sint, tamen nos studia naturæ regula metiamur... »

Verbi gratia, si debilis et corpore, ingeniosus et vivacis memoriæ, non militiam sed litterarum studia sectabere. 982 Si autem validus et hebes, militiam non studium litterarum...

« Neque enim attinet naturæ illud sequi, quod nequeas assequi... si vero necessitas nos trahit ad ea, quæ nostri non erunt ingenii, omnis cura erit adhibenda, ut ea, si non dcore, salt em parum indecore faciamus ; nec est tam cavendum ut bona, quæ nobis data non sunt, sequamur, quam ut vitia fugiamus (54). »

39. Ætatum propria compendiose pandit HORATIUS :

*Reddere quæ voces jam scit puer et pede certo
Signal humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.*

*Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Uitium tardus provisor, prodigus æris
Sublimis, cupidusque et amata relinquere pernix.
Conversis studiis ætas animusque virilis
Quærit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Nulla senem circumveniunt incommoda : vel quod
Quærit et inventis miser abstinet, ac timet uti :
Vel quod res omnes gelide timideque ministrat,
Dilulor, spe longus, iners avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti*

Se puero, censor castigatque minorum (55).

Ideo vere

Laudat præteritis, præsentis despicit annos

Quia in nostra vita continuum est detrimentum quod alibi idem poeta monstrat :

*Damnosa quid non imminuit dies ?
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiore (56).*

40. His ita se habentibus, « adolescentis sit officium majores natu vereri atque ex his deligere probatissimos, consilio quorum utatur, ineuntis enim ætatis inscitia senum regenda est prudentia (57) ; » Juvenis enim, ut ait TERENTIUS :

*Dum in dubio est animus paullo momento huc illuc
[impellitur (58).*

TULLIUS : « Nam ineunte adolescentia maxima est imbecillitas consilii cum quisquis genus vitæ sibi constituat, quod maxime adamavit. Itaque prius implicatur aliquo cursu vivendi, quam potuerit judicare, quis optimus esset (59) ; » ideo juvenis sit officium (TERENTIUS) :

Susplicere, tanquam in speculum in vitas omnium,

nec ipsissimis verbis. Uncis inclusa addita fuerunt explanationis gratia ab auctore nostro.

(55) Horat., Art. poet. 158 171.

(56) Idem in Od. 6, in fin.

(57) Cic., 1 Off. 34

(58) Terent., Andr. I, vi, 32.

(59) Cic., 1 Off. 32.

.... atque ex aliis sumere exemplum sibi (60).

SENECA: « Bonum [enim] est fugienda aspiceret in alieno malo (61). »

TULLIUS: « Maxime autem hæc ætas a libidinibus est arcenda (62), » juxta illud JUVENALIS:

.... Breve sit quod turpiter aude
Quædam cum prima vescentur crimina barba (63).

HORATIUS:

Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum (64).

TULLIUS: « Exercenda in labore animi et corporis ætas adolescentium, ut eorum in bellicis ac civilibus officiis valeat industria (65). » ¶ Unde HORATIUS:

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat.

et alibi:

..... Nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu (66).

PERSIUS:

Contemnere: sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udam et molle lutum es, nunc properandus et
Fingendus sine fine rota (67). [acri]

TULLIUS: « Atque etiam cum relaxare volent animos et dare voluptati, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ; quod erit facilius, si suis ludis majores natu velint interesse. Ludo quidem et joco licet uti sed sicut somno et quietibus, tunc scilicet cum satisfecerimus seriis rebus. Non enim facti sumus ad ludum, sed ad severitatem (68). » Unde HORATIUS:

Nimirum sapere est subjectis utile nugis
Et tempestivum pueris concedere ludum (69).

TULLIUS: « Duplex est omnino jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum, elegans, urbanum, ingeniosum, factum (70). »

41. Viri vero sunt officia ea quæ superius poeta numeravit, in quibus nihil est aliqua lege corrigendum. TULLIUS: « Senibus autem corporis labores sunt minuendi, animi vero exercitationes augendæ videntur (71). » TERENCE:

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad
[vitam fuit,

A Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat: ut illa quæ te scire credis, nescias;
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repu-
[dies (72).

TULLIUS: « Danda enim opera est senibus ut amicos et juventutem consilio juvent. Maxime autem cavendum est seni ne se languori desidieque det (73), » alioquin dicetur ei:

Invidiam placare paras virtute relicta (74)?

TULLIUS: « Luxuria cum omni ætati sit turpis, tum fœdissima est senectuti. Nam si libidinum accesserit intemperantia, duplex malum est; quod et ipsa senectus concipit dedecus et intemperantiam juvenum facit impudentiorem (75). » JUVENALIS:

..... Velocius et citius nos
B Corrumunt vitiorum exempla domestica...
... dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus (76).

42. Magistratum quoque diversa sunt officia. Prælati quidem officium est ut ait TULLIUS, æstimare « se gerere personam civitatis, retinere deos, servare leges, et meminisse eas suæ fidei commissas. Privati vero est officium pari jure cum civibus vivere non nimis se efferentem, non nimis submissum, non nimis abjectum: ea velle in republica, quæ tranquilla et honesta sunt (77). » Caveat ne in eum cadat illud SALLUSTII: « Semper in civitate aliqui sunt, quibus opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt, mutari omnia student (78). » TULLIUS: « Peregrini vero est officium nil præter suum negotium agere, nil de alio inquirere, de aliena republica non esse curiosum. Sordidum est officium eorum qui emunt a mercatoribus quod statim vendunt. Nil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur, nec vero quidquam ea vanitate turpius. ... Ideo res familiaris debet ¶ quæri quæstibus, a quibus turpitudine absit conservari vero parcimonia (79). » OVIDIUS

Nec minor est virtus, quam quærere, parva tueri (80).

SENECA: « Nullus enim tantus quæstus est quam, quod habeas, parcere (81). » Sic tamen quæri debet, ut imitemur eum de quo legitur: « Demetrius noster sic vivit non tanquam omnia contempserit, sed tanquam aliis habenda permiserit (82). » TULLIUS: « Medicina et architectura honestæ sunt, quibus conveniunt. Mercatura autem, si tenuis est, putanda

(70) Cic., I Off. 29.

(71) Id., ibid. 31.

(72) Terent., Adolph. V, iv, 1 sqq.

(73) Cic. l. c.

(74) Horat., II Sat. 3, 13

(75) Cic. l. c.

(76) Juvenal., xiv, 31-32 et v. 40-41.

(77) Cic. l. c.

(78) Sallust., Cat. 37.

(79) Cic., l. c. et c. 42, et 2 ibid. 24.

(80) Ovid., Art. II, 13

(81) Seneca sive Publ. in Mim. n. 577.

(82) Id., Epist. 62.

(60) Terent., Adolph. III, III, 62.

(61) Senec., in Proverb. sive in Mimis Publilianis quos vide sub litt. B.

(62) Cic., I Off. 34.

(63) Juvenal. VIII, 165.

(64) Horat., I Epist. 19, 48.

(65) Cic. l. c.

(66) Horat., III Od. 2. — I Epist. 2, 68.

(67) Pers. III, 21, sqq.

(68) Cic. l. c. — et ibid. 29, non autem ad verbum.

(69) Horat., II Ep. 2, 141. Hic in codice habentur duo versus ejusdem auctoris ex I Ep. 19, quos prout in editione habebantur supra retulimus.

est sordida; si magna et copiosa multaque undique A
apportans multisque sine vanitate impertiens, non
est admodum vituperanda. Agricultura nil melius,
nil uberius, nil libero homine dignius (83). » Hanc
laudat poeta HORATIUS in verbis:

*Beatus ille, qui procul negotiis,
(Ut prisca gens mortalium)
Paterna rura bobus excercet suis,
Solutus omni fenore (84).*

De verecundia.

43. Verecundia est in gestu, in verbo, in vultu
servare honestatem. TULLIUS: « In compositione nam-
que corporis magnam rationem videtur habuisse
natura. Figuram enim nostram in qua est honesta
species in aperto posuit; partes autem ad necessi-
tates naturæ datas ideo abdidit, quia deformem
aspectum erant habituræ. Hanc diligentem naturæ B
fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ
enim natura occultavit, remouent ab oculis omnes
sanam mentem habentes; dant etiam operam ut
quam occultissime pareant necessitati, parcisque
partium usus sint necessarii nec ea partes, nec usus
propriis nominibus appellant. Vitiosum quoque
est in re seuera delicatum inferre sermonem. Cum
collegæ in prætura Pericles et Sophocles de com-
muni officio convenissent et casu formosus puer
transiret, dixit Sophocles: O Pericle, pulchrum
puerum prætorem decet. Pericles autem respondit:
Prætorem decet non tantum manus sed et oculos
habere abstinentes. Si Sophocles in convivio id
dixisset iusta caruisset reprehensione (85). » De
hac verborum verecundia dicit HORATIUS:

*... Tristia mæstum
Vultum verba decent, iratum plena minarum;
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuvat aut impellit ad iram
Aut ad humum mærore gravi deducit et angit:
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta
Romani tollunt equites pedilesque cæchinum,
Intereri imultum Davus ne loquatur an audax
Pythias emuncto lucrata, Simone talentum,
Maturusne senex an adhuc florente iuventa
Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne rogas cultorne viventis agelli (86).*

Quartum vero officium tradit ubi dicit HORATIUS:

Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam (87).

985 Quintum vero subdit:

*Commisumque leges et vino tortus et ira...
Quid de quoque viro, et cui dicas, sæpe videto.*

(83) Cic., 1 Off. 42.

(84) Horat. Epod. 2. init.

(85) Cic., 1 Off. 35 et 40.

(86) Horat., Art. poet. 405 sqq. versus Pythias
emuncto huc translatus ex vers. 238 *ibid.* Porro hic
locus Horatii ab interpretibus maxime exagitatus
lucem aliquam inde accipere potest.

(87) Horat., 1 Epist. 18, 37.

(88) *Id. ibid.*, v. 381 — et 18-71. Postremus ver-
sus sic in edit. Horatii legitur:

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

Sed et nostra lectio non est spernenda,

*Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.
Nec retinent putulæ commissa fideliter aures:
Evolat emissum semel irrevocabile verbum (88).*

Idcirco garrulo arcanum minime aperies; non enim
potes ab alio exigere silentium, si tibi non præsti-
teris. Si enim garrulum accuses, respondet TEREN-
TIUS:

Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo (89).
Idcirco in hoc incumbere ut libentius audias quam
loquaris. Summo autem opere fugito jurgia. Nam
contra parem contendere anceps est, cum superiore
furiosum, cum inferiore vel fatuo sordidum. « Ab-
sentem lædit qui cum ebrio litigat (90) »

De abstinentia.

44. Abstinentia vero et honestas, moderantia et
parcitas eduliorum irritamenta coercent. Horum
autem primum est tempus prandii prævenire statu-
tum, secundum lautiores cibos quærere Primum
arguit JUVENALIS:

*Exsul ab octava Marius bibit, et fruitor d'is
Iratæ (91).*

Secundum ubi dicit:

*Buccæ
Noxendæ est mensuræ tuxæ, spectandaque rebus
In summis minimisque, etiam cum piscis emetur,
Nec nullum cupias: cum sit tibi gobio tantum
In loculis (92).*

Tertium est vitium in accurato apparatu operam
dare, quod arguit JUVENALIS:

*.... Nec minimo sane discrimine refert.
Quo gestu lepores et quo gullina secetur (93).*

Et LUCANUS:

*O prodiga rerum
Luxuries! nunquam parvo contenta paratu,
Et quæditorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et tantæ gloria mensæ,
Discite quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat...
.... Satis est populus fluviusque Ceresque (94).*

Quartum est nimio appetitu inhiare. Quintum men-
suram refectionis excedere, quod intelligit ubi dicit
HORATIUS:

*.... Male verum examinat omnis
Corruptus iudex.*

Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ (95).

Est ergo abstinentia prandendi tempus statutum non
prævenire. Hæc enim voluptas usum reddit gra-
tiores. JUVENALIS:

Voluptates commendat rarior usus (96).

D SENECA: « Nihil est jucundum, nisi quod varietas
reficit (97): » unde HORATIUS:

Jejunus raro stomachus vulgaria temnit (98).

(89) Terent., Eun., I, 11, 25.

(90) Inter Publianas sententias n. 6. ad quas re-
ferendæ pariter, ut puto, quæ præcesserunt, licet
hucusque non repererim.

(91) Juvenal. 1. 49.

(92) *Idem* III, 31.

(93) *Idem* v, 123.

(94) Lucan., IV, 373 et 381.

(95) Horat., II Sat. 2, 8. — *Ibid.* VII, 107.

(96) Juvenal., 11 *extr.*

(97) Seneca seu potius P. Lysus in *Mimis*, n. 387.

(98) Horat., II Sat. 2, 38.

De honestate.

45. Honestas est nec lautiores cibos querere, nec nimio in apparatu operam dare. Hæc virtus commendatur ab HORATIO :

*Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo sub tære pauperum
Cœnæ, sine auleis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem* (99).

De moderantia.

46. Moderantia est nimium ciborum appetitum rationis imperio revocare.

De parcitate.

47. Parcitas est mensuram refectionis non excedere, juxta id LUCANI :

Huic epulæ, vicisse lamen (100).

De sobrietate.

48. Sobrietas est excessum in potu cohibere. Hujus est officium, ebrietatis mala coercere. 986 Quod pandit his verbis HORATIUS :

*Quid non ebrietas designat? operata recludit:
Snes jubet esse ratus: in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit: addocet artes.
Fecundi calices quem non fecere disertum* (1) ?

De pudicitia.

49. Pudicitia est moderamine roboris petulantiam domare. SALLUSTIUS : « Si libido animum possidet ac dominatur, animus nil valet Nemo. enim unquam libidini simul paruit et usui (2). » SENECA : « Voluptas

A enim fragilis et brevis est et abjecta fastidit: quo avidius est hausta, citius in contrarium recidens, cujus subinde necesse est aut pœniteat aut pudeat. In qua nihil magnificentum est, aut quod naturam deceat hominis diis proximi. Res humilis, membrorum turpium ac vitium ministerio veniens, exitu fœda (3). » Abominabile quidem est propter fetidum scortum et ignominiosam corporis partem animæ libertatem in servitutem declinare, et suum laborem alienas delicias facere. TULLIUS : « Ideo semper in promptu habeat vir fortis quantum hominis natura brutis antecedit. Illa nil sentiunt nisi voluptatem, ad eamque omni feruntur impetu: hominis autem mens alitur discendo, meditando. Quocirca si quis est ad voluptatem propensior, caveat ne sit ex pecudum genere. Ex quo intelligitur corporis voluptatem non esse dignam hominis præstantia, cum latebras quærit. Si quis est enim paulo evectior, quamvis voluptate capiatur, occultat appetitum voluptatis propter verecundiam (4). » Idcirco fugiamus blandæ voluptatis dominium. « Nam voluptates, blandissimæ dominæ, maximam partem a virtute detorquent (5). » OVIDIUS :

Nam venus et vinum sublimia pectora fregit (6).
Item « vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes (7). »

QUÆSTIO II.

DE COMPARATIONE HONESTORUM.

50. Restat secundam quæstionem, quæ est de C comparatione honestorum, pertractare. Cum pertineat ad cognitionem prudentis, reliquæ tres [scilicet, justitia, fortitudo, temperantia], ad actionem pertinent. Cognitioni anteposenda est actio. Hoc autem probari potest. TULLIUS : « Sitenim aliquis vehementer cupidus in cognoscendarum natura. Huic, dum contemplabitur res cognitione dignissimas, nuntiet aliquis patriæ cui opitulari ipse possit, discrimen imminere; nonne omne studium suum abjiciet, etiamsi æstimet se posse numerare stellas, et mundi magnitudinem metiri (8) ? » Prudentia ergo est posterior tribus reliquis, in quibus autem præferenda est temperantia reliquis duabus. Homo enim temperantia se ipsum regit, fortitudine vero et justitia familiam et civitatem; sed melius est homini suum dominium quam extraneum 987, D juxta id HORATIUS :

*Latius regnes avidum domando
Spiritus quam si Libyam remotis*

(99) Horat., III *Od.* 29, 13 seqq.

(100) Lucan., 384, ubi de Catonis moribus et vitæ institutis. Locus iste infra quoque laudatur.

(1) Horat., I *Epist.* 5, 16 seqq.

(2) Sallust., *Cat.* 51, paucis mutatis.

(3) Senec., VII *Benef.* 2.

(4) Cic., I *Off.* 30.

(5) Id. II *ibid.* 10. Quæ sequuntur desunt in edit.

(6) Ovid., *Fast.* I 301. Sed hic legitur non loco

*Sedibus jungas: et uterque Pænus
Serviat uni* (9).

Unde SENECA : « Si vis omnia tibi subicere, te subijce rationi. » Et TULLIUS : « Multos reges si ratio te rexerit (10). » Ubi enim est homini bonum sine se bono? Nunquam autem amore aliarum virtutum contra temperantiam est agendum. « Sunt enim quædam ita fœda, ita flagitiosa, ut nec causa conservandæ patriæ sapiens easit facturum, quædam et sunt dictu obscena (11), » ut interficere filium et abrenuntiare fidei. Fortitudine autem melior est justitia. « Magnitudo autem animi, si a communi utilitate sit remota, feritæ quædam erit et immanitas (12); » in ipsa autem justitia sunt gradus officiorum. « Prima enim officia diis immortalibus debentur, secunda patriæ, tertia parentibus, reliqua deinceps gradatim (13). »

Hactenus pars honestatis confecta est, hoc autem quod nunc agimus, ad ipsum, quod utile dicitur, pertinet.

nam, ut exposulat contextus.

(7) Vulg. interpr. *Eccli.* XIX, 2.

(8) Cic., I *Off.* 43, paucis mutatis.

(9) Horat., II *Od.* 2.

(10) Sententiæ istæ ex locis mihi adhuc ignotis.

(11) Cic., I *Off.* 45.

(12) Id. *ibid.* 44.

(13) Id. *ibid.* 45.

QUÆSTIO III.

DE UTILI.

51. Utile est quod præter fructum est expeten-
dum; hoc autem in bona animi, in bonis corporis,
et in bona fortunæ quidam distribuunt. Animi bona
in scientias et virtutes disperguntur, de quibus
agentes de honesto disseruimus. Corporis vero bona
sunt pulchritudo, notabilitas, velocitas, robur, magni-
tudo, valetudo, quæ sæpe plus incommodi afferunt
quam fructus, dum bonos mores auferunt, juxta
JUVENALEM :

... *Rara est adeo concordia formosæ
Atque pudicitia (14).*

OVIDIUS :

Casta est quam nemo rogavit (15).

Nobilitas quoque plus ignominiam quam laudis
degenerantibus solet afferre, SALLUSTIUS : « Quanto
majorum vita præclarior, tanto posteriorum recordia
flagitiosior. Et profecto ita res se habet. Majorum
enim gloria est quasi lumen quoddam posteris,
quod nec bona nec mala in occulto patitur esse. —
Qui autem in obscuro demissi vitam agunt, si quid
iracundia deliquere, pauci sciunt, quorum fortuna
et fama sunt pares (16). » Ad hoc JUVENALIS

*Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, major quanto qui peccat habetur (17).*
Si autem veram requiris nobilitatem, audi poetam
JUVENALEM :

Nobilitas [animi] sola est atque unica virtus (18).
Nobilitas enim est sola quæ animum moribus ornat;
unde idem poeta :

Prima mihi debes animi bona...

... *Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, et præclaro nomine tantum
Insignis?....*

*Miserum est aliorum incumbere famæ....
Malo pater tibi sit Thersites dummodo tu sis
Hæacidæ similis, Vulcanique arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles (19).*

Quod si in hac nobilitate aliquis fructus est, pro-
fecto hic est, quem monstrat TULLIUS his verbis :
« Optima hæreditas a patribus traditur liberis, om-
nique patrimonio præstantior, scilicet gloria virtutis
et gestarum rerum, cui dedecori esse nefas judican-
dum est (18). » In aliis autem ~~omnibus~~ commodis corpo-
ris, quis fructus est homini, quem in eisdem bestiarum
præcunt? BOETIUS : « Non enim elephantem mole,
tauros robore, tigres velocitate præibitis (21). » Ut
testatur JUVENALIS :

Mors sola faletur D

Quantula sint hominum corpuscula (22).

(14) Juvenal., x Sat. 297.

(15) Ovid., Amor 1, 8, 43. Hic locus in edit. desi-
deratur.

(16) Sallust., Jug. 85 a med. — et Cat. 51, post
init.

(17) Juvenal., viii Sat. 140, ubi quanto major.

(18) Id. ibid., v. 19.

(19) Id. ibid., v. 20-30-32-76 et 268-270.

(20) Cic., i Off. 33.

De fortunæ bonis.

52. Fortunæ autem bona sunt opulentia, prælatio,
gloria. Ad opulentiam referuntur prædia, clientelæ,
peculium, thesaurus, ornatus. In prædiis vero ædi-
ficia et agri numerantur. TULLIUS : « Cavendum est
autem ne, si ædifices, extra modum sumptus pro-
deat; observanda est enim in ædificando mediocri-
tas (23). » Unde idem HORATIUS :

*Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula (24).*

Unde TULLIUS : « Ornanda est dignitas domo, non
ex domo tota quærenda est dignitas, nec domo
dominus, sed domus domino debet honestari. Ampla
domus, si in ea est solitudo, dedecori est domino,
maxime si ab alio posita est domino frequentari.
Odiosum enim est, cum a prætereuntibus dicitur :
*O domus antiqua, heu ! quam dispari dominare do-
mino (25) !* » Ideo audi poetam HORATIUM :

*Quem res plus nimio delectaverit secunda,
Maturæ quærent : si quid mirabere, pones
Invitus : fuge magna : licet sub paupere tecto
Reges et regum vita præcurrere amicos (26).*

Et LUCANUS :

... *O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares ! o munera nondum
Intellecta deum (27) !*

Idcirco in ædificio sequamur Catonis temperan-
tiam de quo legitur LUCANUS :

*Huic spulæ, vicisse famem : magnique penales,
Submouisse hiemem tecto (28) :*

Laudabilis est enim curta supellex sub lare parvo.
HORATIUS inde dicit :

*Exilis domus est, ubi non et multa supersunt
Et Dominum fallunt, et prosunt furibus (29).*

Magnitudo enim domus sollicitudines non expellit
HORATIUS :

*Intactis opulentior
Thesauris Arabum, et divitis Indiæ,
Cæmentis licet occupes
Tyrrenum omne luis, et mare Ponticum :
Si fujit adan antinos
Summis verticibus diva necessitas
Claves : non animum metu
Non mortis laqueis expedies caput...
Divesne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub dio moveris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur : omnium
Versatur urna, serius, ocius
Sors exitura...*

(21) Boet., Cons. Phil. III, pr. 8.

(22) Juvenal., x. 473.

(23) Cic., Off. 39, non tamen ad verbum.

(24) Horat., ii Od. x, 5.

(25) Cic., l. c.

(26) Horat., i Epist. 10, 30 seqq.

(27) Lucan., v, 527.

(28) Idem ii, 384. Vide et supra.

(29) Horat., i Epist. 6, 45.

s et fundus, non æris acervus et auri
 tibi detulit corpore febres,
 o curas; valeat possessor oportet
 latis rebus bene cogitat uli.
 aut metuit juvat illum sic domus, aut res,
 pictæ tabulæ, fomenta podagram.

.....
 ars æquo pulsat pede pruperum tabernas
 Regumque turres (30).

Intelis primum officium sit dominum
 præbere, secundum opera exigere. Sed
 at dominus, si existimat servitutem in
 nem descendere; pars; ejus melior in
 pta est. 989 Corpora sunt obnoxia
 ens sui juris est adeo libera et vaga, ut
 re quo inclusa est, teneri possit, quo-
 tu quo utatur et agat ingentia et in in-
 es excessibus exeat. Ideo sic cum infe-
 quemadmodum superiorem tecum vi-
 et quoties in mentem venerit, quantum
 i servum, veniat similiter in mentem
 in te domino tuo licere (31). »

Primum officium familiaris domini est suos
 tibi sui reducere, quod insinuat Ho-
 rrbis :

aperitis cultura potentis amici :
 tectuit ; tu, dum tua navis in alto est
 i mutata retrorsum te ferat aura-
 larem tristes, tristemque jocosu ;
 ieres ; agilem gnavumque remissi.
 uli media de nocte Fulerni
 rrecta negantem pocula : quamvis
 iures te formidare vapores.
 icilio nubem, plerumque modestus
 scuri speciem, taciturnus acerbi...
 suis studiis qui crediderit te,
 que tuum laudabit pollice ludum (32).

officium est dignos domino commeu,
 HORATIUS :

mmendes, etiam atque etiam aspice : ne
 [mor
 iliena tibi peccata pudorem.
 t quondam non dignum trulimus ; ergo
 culpa premet, deceptos omite tueri :
 notum, si tentent crimina, serves,
 tuo fidentem præsidio...
 s agitur, paries cum proximus ardet :
 solent incendia sumere vires (33).

et cohibere avaritiam et libidinem ;
 HORATIUS :

iper inops agilet vexetque cupido...
 i tuum jecur uterret ulla, puerve
 iorum venerandi limen amici (34)

est abjicere elationem juxta illud Ho-

ulabis studia aut aliena reprendes.....
 de potentis amici
 i peritis (35).

, III Od. 24. — II *ibid.* 3. — I *Epist.* 2,
 Od. 4.

, I *De benef.* 20. — *Id.*, *epist.* 47 a med.,
 tis vel omissis.

, I *Epist.* 18, 80-95. — *Ibid.*, v. 65-66.
ibid., v. 76-85.

ibid., v. 98. — *Ibid.*, 72 et 73.

ibid., v. 39, et v. 44-45.

ibid., 17, 43-45, et v. 50-51.

A Quintum est supersedere querimonis, unde idem
 HORATIUS :

Coram rege suo de paupertate tacentes
 Plus poscente ferent; distat sumasne pudenter
 An rapias.....
 Nam tacitus pasci si posset corvus haberet
 Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque (36).

Quare autem ista studiose sint observanda docet
 idem HORATIUS :

Principibus placuisse viris non ultima laus est (37).

Sextum autem officium est, quidquid a domino
 exigitur, complere nec aliqua penuria gravari. Lu-
 CANUS :

Non sibi, sed domino gravis est, quæ servit ege-
 [stas (38).

Summo opere caveat garrulitatem. JUVENALIS :

Lingua mali pars pessima servi (39).

B Talem autem, si fas est, eligat dominum, cui ser-
 vire non sit dedecori, dignitate enim dominantium
 honestantur obsequia servorum.

55. De peculio vero thesauro, 990 ornatu, quæ
 communi nomine divitiæ dicuntur, est illud philo-
 sopheri satis eleganter dictum. TULLIUS : « Nihil, in-
 quam, est tam angusti animi tamque parvi, quam
 amare divitiæ (40). » Ideo magnus est, qui sic uti-
 tur auro, ut sticilibus, nec minor ille est, qui sicut
 sticilibus, utitur auro. TULLIUS : « Nihil honestius
 magnificentiusque 991 quam pecuniam contem-
 nere, si non habeas : si habeas, ad liberalitatem con-
 ferre (41). » Nimis enim liberalis videtur fuisse qui
 dixit: TERENCEUS :

Ego spem pretio non emo (42)

C 56. A cujus rei desiderio hic causis revocari de-
 bemus. Prima est quia hominis brevis est vita.
 HORATIUS :

Vitæ summa brevis spem nos velat inchoare longam
 Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ
 Tempora dii superi?

Quid sit futurum cras, fuge querere
 Prudens fu.uri temporis exitum
 Caligiosa nocte premit deus ;
 Ridetque si mortalis ultra
 Fas trepidat ; quod adest memento
 Componere æquus.....

..... ille potens sui
 Lætusque deget, cui licet in diem,
 Dixisse : Viri : cras vel atra
 Nube polum pater occupato,
 Vel sole puro

Lætus in præsens animus, quod ultra est
 Oiderit curare : et amara læto
 Temperet risu. Nihil est ab omni
 Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem ;
 Longa Tithonum minuit senectus
 Et mihi forsitan, tibi quod negavit,
 Porriget hora (43).

D

(37) *Idem, ibid.*, v. 35.

(38) *Lucan.*, III, 152.

(39) *Juvenal.*, IX, 120.

(40) *Cic.*, I *Off.* 20.

(41) *Id.*, l. c.

(42) *Terent.*, *Adelph.* II, II, 11. Proverbium est de
 iis qui rem incertam certa factura quærunt.

(43) *Horat.*, I *Od.* 4, 15. — IV *ibid.* 7, 18. — I *ibid.*
 9, 13. III *ibid.* 29. — II *ibid.* 16.

SENECA: « In hoc quidem omnes fallimur, quod A mortem non prospicimus. Magna pars ejus jam præterit; quidquid ætatis retro est, mors tenet (44). Ideo sige in animo te sine aliqua intermissione quotidie mori.

57. Secunda causa est, quia amor habendi virtutes investit HORATIUS:

*Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in agenda festinat, et obruitur re....
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis:
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit (45)*

Sicut dicit AVARUS. JUVENALIS:

Unde habeas, quærit nemo, sed oportet habere (46).

HORATIUS:

Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est (47).

Nibil est satis cum tanti quantum habeas sis,

inquit JUVENALIS:

*Quantum quisque sua nummorum servat in arca
Tantum habet et fidei....
Nil habet infelix paupertas durius in se
Quam quod ridiculos homines facit (48).*

HORATIUS:

*Magnum pauperes opprobrium jubet
Quidvis et facere et pati
Et genus et formam regina pecunia donat
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, et rex (49).*

(58. Sed totum hoc in contrarium dedit illi; pro virtutibus enim affert pecunia vitium et infamiam, quæ est tertia causa contemnendi eam, audias poetam JUVENALEM:

*Prima peregrinos obsequia pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles (50).*

LUCANUS:

*..... secunda virorum
Paupertas fugitur (51).*

HORATIUS:

*Fecunda culpæ sæcula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos (52).*

Quod nobilitas sit nulla ex pecuniis, monstrat qui dicit HORATIUS:

*Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus (53).*

59. Quarta causa est quia amorem habendi nullus satiat quæstus, nam, ut habet HORATIUS:

*..... superbæ
Crescunt divitiæ, tamen
Curte nescio quid semper ubest rei
Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorque fames...*

*Quanto quisque sibi plura negaverit,
A diis plura feret: nil cupientium*

(44) Senec. Epist. 1 post init.

(45) Horat., I Epist. 16, 67. et ibid. 17, 9.

(46) Juvenal., XIV, 206.

(47) Horat., II, Sat. 5, 8.

(48) Juvenal., III, 143 et 152.

(49) Horat., III Od. 24. — I Epist. 6, 36. — II Sat. 3, 95.

(50) Juvenal., V, 298.

(51) Lucan., I, 463.

(52) Horat., III, Od. 6.

(53) Idem, Epod. 4, 5.

(54) Idem, III Od. 24. — III idid. 46. — I Epist. 12 init.

(55) Juvenal. XIV, 139 et 175

Nudus castra peto, et transfuga divitum

Partes linquere gestio.....

..... bene est, cui deus obtulit

Parca, quod salis est, manu

Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus,

Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis nil

Divitiæ poterunt regales addere majus (54).

JUVENALIS:

*Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat, qui non habet....*

..... nam dives qui fieri vult

Et cito vult fieri (55).

60. Quinta causa est timor, quem invehit pecunia. JUVENALIS:

*Pauca licet portas argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram
Cantabit vacuus corram latrone viator...
..... Misera est magni custodia census (56).*

B

61. Sexta causa est, quia vult servitutem quærentis. Unde HORATIUS:

*Imperat aut servit collerta pecunia cutique,
Totum digna sequi potius, quam ducere funem (57).*

Idecirco assentior dicenti:

Et mihi res, non me rebus supponere conor (58).

Quæ cum ita sint:

*Non possidentem multa vacaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque calle pauperiem pati
Pejusque letho flagitium timet (59).*

SENECA: « Honesta enim res læta paupertas: illa vero non est paupertas, si læta est. Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Pauper est, non qui parum habet, sed qui plura cupit. » Si vis dives fieri non est pecuniæ adjiciendum, sed cupiditati est detrahendum. — « Brevissima enim via ad divitias est divitiarum contemptus. » Contemnere namque omnia aliquis potest, habere non potest. — « Ideo locupletior erat Diogenes vacuus, omnia possidente Alexandro. Plus enim erat, quod hic nollet accipere, quam quod iste posset dare. Quid refert quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno imminet, si non quæsitæ sed quærenda computat? Quis sit divitiarum modus, quæris? Primus, habere quod necesse est; proximus, quod satis est — Parabile autem et appositum est quod natura desiderat: ad supervacua sudatur. . . . Ad manum est, quod satis est (60). »

BOETIUS: « Paucis enim minimæque natura contenta est (61). »

(56) Idem X, 19 seqq. — XIV, 303.

(57) Horat., I Epist. 10, 46.

(58) Idem, ibid. 1, 19, ubi *submittere* habes.

(59) Idem, IV Od. 9.

(60) Senec., Epist. 2, sub fin. — Epist. 62. — De benef. 4, 4. — Epist. 2 cit. — Epist. 4 ad fin., ubi loco *appositum* legitur *expositum*. Locus medius ejusdem Senecæ esse videtur, etsi mihi incomperitus. Confer. tamen illum cum Varronis sententia, II, 108: « Vis esse dives? Nil cogitando tibi addas, sed aliis demas. » Cfr. quoque Excerpta Senecæ, quibus titulus: *De paupertate liber*.

(61) Boet., Cons. phil. II, pr. 5 circ. med.

De praelationibus.

62. Praelationum contemperandus est appetitus; gravior enim est casus altitudinis. Verum quidem de iis legitur. JUVENALIS :

*Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa atque insignis honorum ;
Pagina (62).*

LUCANUS :

*Invidiæ fatorum sævies, summisque negatum
Stare diu ; nimioque graves sub pondere lapsus...
In se magna ruunt, lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum...
O faciles dare summa deos, eademque tueri
Difficiles (63) !*

SENECA : « Fortunam (enim) citius recipias, quam retineas (64). » Hinc HORATIUS :

*Sæpius ventis ogilatur ingens
Pinus : et celsæ graviore casu
Decidunt turres : feriuntque summos
Fulmina montes...*

*Fortuna sævo læta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc alii benigna.
Laudo manentem : si celeres qualis
Pennus, resigno quæ dedit, et mea
Virtute me invehō, probamque
Pauperiem sine dote quæro (65).*

TERENTIUS :

O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona (66).

Secunda est questionis causa, quæ simulationem appetit. SALLUSTIUS : « Illis enim difficile est in potestatibus obtemperare, qui per ambitionem sese probos simulavere (67). » Sunt enim multi non ex animo sed fortuna humiles, modo elati. TERENTIUS :

*...Profecto sic est ut puto
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque
[humiles sumus (68)].*

Itaque prælati officium sit studia multitudinis ad suas utilitates allicere. TULLIUS : « Omnium enim rerum nec aptius quidquam ad prælationes tenendas quam diligere, nec alienius quam timeri (69). » SALLUSTIUS : « Tutius enim est volentibus, quam coactis imperitare (70). » TULLIUS : « Subjecti enim quem metuunt oderunt, et quem quisque oderit, perisse expetit... Malus enim custos diuturnitati, metus (71). » Hinc JUVENALIS :

*Ad granum Cereris sine cæde et sanguine pauci
Ascendant reges, et sicca morte tyranni (72).*

TULLIUS : « Contra benevolentia fidelis custos est etiam ad perpetuitatem ; [præconio enim laudis defunctum perennem facit.] Qui se metui volunt a

(62) Juvenal., 10, 56.
(63) Lucan., 1, 70, *ibid.*, 81 et 510.
(64) Seneca sive Publius Syrus in *Mimis*, n. 252, ubi fortunam citius reperias.

(65) Horat., II *Od.* 2 ; et III *ibid.*, 29.
(66) Terent., *Hec.* III, III, 46.
(67) Sallust., *Jug.* 85, *post init.*
(68) Terent., *Hec.* III, 3, 20.
(69) Cic., II *Off.* 7, ubi loco prælationes legitur *opes*.
(70) Sallust., *Jug.* 102.
(71) Cic., *l. c.* sed rectius Eonius ap. Cic., *l. c.*
(72) Juvenal., 10, 112, ubi loco sanguine legitur *vulnere*.

(73) Cic., *l. c.* Uncis inclusa non sunt Ciceronis.
(74) Boet., *Cons. phil.* III, pr. 5.
(75) Cic., *l. c.*

A quibus timentur, eosdem metuant ipsi necesse est (73). » Unde BOETIUS : « Potentem censes, qui satellite latus ambit : qui quos terret ipse plus metuit (74) ? » TULLIUS : « Dionysius cultros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillos, Alexander Chereus ex epulis in cubiculum veniens ad uxorem præmittebat stipatores suos qui scrutarentur arceas muliebres, ne aliquod in vestibus telum absconderent (75). » Meminerit prælatus se privatam esse ; nam sæpe spes improbissimas amplectuntur insperata assecuti. TERENTIUS :

Deteriores omnes sumus licentia (76).

Prælatos torquent, ut ait HORATIUS :

*...Miseri tumultus
Mentis cur et laqueata circum
Tecta volantes (77).*

B *Et quos non gravior mortalibus addita cura est
Spes ubi longa venit*

De Gloria

63. Gloria est alicujus magnifici vel bonæ artis late patens præconium. Ad hanc ideo spectat humana intentio, quia absque ea nostra virtus non multis innotescit. HORATIUS :

*Paulum sepultæ distat inertiae
Celata virtus (78).*

Præterea ut perhibeat qui de magnis majora loquuntur, secundam vitam dat gloria, ut ait poeta HORATIUS :

Dignum laude virum musa velat mori (79)

Quam rem, ut demonstraret se serio non dixisse alibi possuit :

C *Cum bene notum
Porticus Agrippæ, et via te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus (80)*

BOETIUS :

*Mors spernit altam gloriam.
Involvit humile pariter et celsum caput,
Æquatque summis infima (81).*

Gloriam ideo immoderato affectu quærimus, quod boni magis videri quam esse ; mali autem magis esse, quam videri, volumus. Verum est enim illud poetæ HORATII :

*Falsus honor juvat, et mendax infamia terret
Quem, nisi mendosum et mendacem (82) ?*

BOETIUS : « Gloriæ autem fructus persæpe fuit superbia ; unde Græcus tragicus exclamat : « Gloria in millibus mortalium, nil aliud facta, quam aurium inflatio magna (83). » In qua nil fructus esse si

(76) Terent., *Hec.* III, 1, 74.

(77) Horat., II *Od.* 16, 10.

(78) Id., IV *Od.* 9, 29.

(79) Id. *ibid.* *Od.* 8, 28

(80) Id. *Epist.* 1, 6, 25-27.

(81) Boet., *l. c.* II, metr. 7.

(82) Horat., I *Ep.* 16, 39.

(83) Boet., *l. c.* III, pr. 6, qui sic habet : « Gloria vero quam fallax sæpe, quam turpis est ! » Unde non injuria tragicus exclamat :

*Ἡ δόξα, δόξα, μυσίαται δὴ βροτῶν
Οὐδὲν γὰρ ἴσται, βίοντων ὄνομα μίγαν.*

Hoc est : O gloria, gloria, decies mille hominibus, cum nihil nisi, animum tumidum reddis ! Porro duo versus sunt Euripidis in *Andron*...

aliis bonis destituta sit, monstrat quod dicit JUVENALIS :

Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantum est (84)

TULLIUS : « Si quis autem ad gloriam assequendam laboret, talem se efficiat qualem vult haberi :

A quod si in ostentatione iuani, et ficto sermone vel vultu stabilem se gloriam consequi posse opinatur, vehementer errat. Vera gloria radices agit ficta autem omnia celeriter, tanquam stipulæ decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum (85). »

QUÆSTIO IV.

DE COMPARATIONE UTILIUM.

64. Quarta quæstio de comparatione utilium quæ hoc modo tractatur. « Nam commoda corporis cum externis conferuntur hoc modo : Valere ut malis, quam dives esse. Rursus externa sic præferuntur bonis corporis ; ut malis dives esse, quam maximis corporis viribus uti. Ea quoque, quæ sunt B

bona corporis sibi invicem comparantur: nam bona valetudo melior est magnitudine, et vires celeritate. Externa quoque sibi invicem comparantur ; melior est gloria divitiis, vectigalia urbana ruralicis (86). »

QUÆSTIO V.

DE PUGNA UTILITATIS ET HONESTATIS.

65. Quintam capiendi consilii investigationem nos siquidem prædiximus esse quæstionem de pugna utilitatis et honestatis ; si enim est utile ad se contrahere, honestum vero aliis erogare, persæpe in deliberando animus noster habet ancipitem cogitandi curam, utrum scilicet, spreta utilitate, honesto adhæreat vel e contrario. Horum duorum oppositionem Ptolemæo regi persuadere nitentur qui sic perorabat apud LUCANUM :

*Jus et fas multos faciunt, Ptolemæe, nocentes
Dat pœnas laudata fides, cum sustinet illos,
Quos fortuna premit. Fatis accede deisque,
Et iste felices, miseros fuge ; sidera terra
Ut distant, ut flamma mari sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit si perdere justa
Incipit : evertitque arces respectus honesti.
Libertas scelerum est, quæ regna innisu tuetur,
Sublatusque modus gladiis. Facere omnia sæve
Non impune licet nisi dum furis. Exeat aula
Qui vult esse pius. Virtus et summa potestas
Non coeunt : semper metuet, quem sæva pudebunt* (87).

66. Summa vero auctoritate philosophi TULLII tria hæc, scilicet bonum, honestum, utile, sic permisceantur, ut quidquid bonum est, id et utile censeatur, quidquid honestum est id et utile asseratur, 664 unde sequitur omne honestum utile esse (88). Firmissime itaque tenet et nullatenus titubet ita honestum utile esse, quod nihil sit utile nisi sit honestum ; nec dico ista duo numero differre, sed tota proprietate. Verbi gratia : Hic homo et hoc animal non discrepant, quia hic homo est hoc animal et nihil est hoc animal nisi hic homo. Tum etiam quia ad hoc ut sit hoc animal non exigitur, nisi substantia cum animatione et sensibilitate ; ad hoc autem ut sit hic homo oportet esse rationalitatem cum mora-

litate, quæ proprietates dicuntur discrepare. Similis ratio est utilis et honesti ; cum enim idem sint numero, ad hoc ut aliquid sit utile exigitur, quod fructum habeat, ad hoc vero ut honestum, requiritur ut sua dignitate nos alliciat. Cum igitur unum et idem sint, sequitur nullius rei utilem esse usum, qui a virtutibus discrepet. Idcirco nulla est omnino utilis et honesti oppositio.

67. Quia vero vulgus quemcumque temporalium usum utilem credit, illicitum vero honesto obviat, ideo de controversia utilis et honesti proposita est quæstio. TULLIUS : « Sed videtur utile homini incommodo alterius suum commodum augere et alteri aliquid detrabere. Hoc autem magis est contra naturam, quam paupertas, quam mors, quam dolor. Nam principio conjunctum hominem tollit. Si enim hæc affectio nobis insit, ut quisque propter suum emolumentum spoliaret aut videt alium : necesse est societatem dirumpi humani generis quæ est secundum naturam. Ut si unumquodque membrum putaret se plus valere si proximi membri valetudinem ad se transduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset. Ita et in humana societate. Nam sicut concessum est ut quisque malit sibi acquirere, quod ad usum vitæ suæ pertineat, quam alteri, et hoc, natura non repugnante, ita non patitur natura ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. Sed sicut contra naturam magis est detrabere alteri causa sui commodi, quam mors, quam dolor, ita magis est secundum naturam pro omnibus si fieri possent, labores et molestias suscipere, quam vivere sine molestiis in magnis voluptatibus. Præterea cum alium violat, ut ipse aliquid commodi assequa-

(84) Juvenal., VII, 81

(85) Cic., II Offic. 12, fere omnia ad verbum.

(86) Id., ibid extr.

(87) Lucan., VIII, 484-495. Sunt porro verba.

Pothini magnæ in aula Ægyptii regis auctoritatis, quibus Ptolemæo suadet ut Pompeium occidat.

(88) Desumpta hæc sunt ex Cic., II Off. 3.

tur aut nihil existimat se facere contra naturam, aut censeat magis fugiendam paupertatem, quam facere iniquam injuriam si nos aestimat se facere contra naturam, inhumanus est, si censeat facere injuriam malum esse, sed deterius paupertatem vel mortem [pati], errat. Gravius est enim vitium animi, quam mors et paupertas (89). »

985 68. Forsitan quispiam dixerit : « Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili ? minime, inquam. Non enim est mihi vita utilior, quam talis affectio animi, scilicet ut neminem violem causa mei commodi. » [Dum enim vita perditur, corruptio corporis scilicet mors incurritur ; si vero hanc affectionem abiciam, vitium animi incurram : et sicut est gravius animi quam corporis vitium, sic melius est animi quam corporis bonum, virtus scilicet, quam vita.] « Præterea non cædit in bonum virum mentiri, criminari, corripere, fallere, causa sui emolumenti. Est ergo nulla res tanti, aut commodum nullum tam expetendum, ut boni viri nomen non amittas. Quid est, quod afferre tantum ista, opus dicitur utilitas, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem justitiamque detrazerit? Quare ergo homines emolumenta rerum vident, pœnam vero non tantum legum, sed turpitudinis, quæ acerbissima est, non vident ? Quamobrem hæc deliberatio testatur de medio, deliberant utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an scientes se scelere polluant in ipsa quidem dubitatione facinus inest, etsi ad id non pervenerint. Ergo deliberanda omnino non sunt, in quibus turpis est deliberatio, atque ex omni deliberatione celandi spes removenda est. Satis enim persuasum nobis esse debet, etsi deos omnes celare possimus, nihil tamem orare, nihil libidinosè, nihil inconvenienter esse faciendum. Non enim utile potest esse factum, tot vitis inquinatum. Etsi vir sapiens anulum habeat hujus efficacis, ut eum invisibilem reddat non tamen sibi plus licere putet, quam si non haberet; honesta enim bonis viris, non multa quærentur (90); » nec quidquam audebit vir bonus velle, quod non audeat prædicare. Quod si a flagitio ideo te revocas, quod hoc homines non lateret, non bonitatem diligis, sed pœnam metuis atque in hoc ferarum imitaris naturam. HORATIUS :

*Cautus enim metuit foveam lupo, accipiterque
Suspectos laqueos et opertum mitivus hamum.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ,
Oderunt peccare boni virtutis amore (91).*

(89) Totum hoc caput contractum est ex capite 5 *Offic. Cic. lib. III*, et iisdem fere verbis.

(90) Et hoc caput præter ea, quæ uncis inclusa sunt, tanquam præcedentium certior explicatio, desumpta sunt ex lib. III *B. Cic.*, c. 6, c. 20, — c. 8, c. 14 *in fin.* et c. 9. Hoc postremo loco Cicero mentionem facit annuli Gygis, de quo multa fabulati sunt veteres.

(91) Horat., I *Epist.* 16, 50-52. Codex noster hic exhibet varias lectiones minime spernendas, et fortasse etiam versum ineditum nempe tertium :

Oderunt peccare mali formidine pœnæ,

69. Cum ex prædictis pateat solum honestum utile esse, « si aliqua tibi abjecta sit utilitatis species, cui, dum intenderis animum, videas turpitudinem adjunctam ; non quod illa utilitas dico tunc, sit relinquenda, sed intelligendum est, ubi turpitudinis sit, ibi utilitatem esse non posse (92). » Versus autem si volumus judicare, quoties utilitatis speciem præfert turpitudinis ; eventus ipsius rei solet redargui. Videmus enim quando id quod honestum est, inutile videtur, ad hunc tamen finem reduci ut ex eo insperatum 996 veniat commodum, ut ecce de Damone et Pythia, « quos hoc animo inter se fuisse ferunt, ut cum alteri eorum Dionysius tyrannus diem necis destinasset, et is, qui morti addictus esset, causa disponendi super evis rebus paucos dies postulasset interim vades factus est alter, causa illius sistendi hac conditione, ut si ille non rediisset, ipsi, moriendum esset. Cum autem ad diem ille se recepisset, admiratus illorum fidem tyrannus, petiit ab eis, ut se in amicitiam testium reciperent (93). » Vide quomodo utile fuit et hunc pro amico remansisse, et illum pro amico rediisse, licet utrumque primo periculosum crederetur sic super juxta terminum dispositionem utilem et insperatum exitum habet honestas. Turpitudinis autem tam perniciosum quam inhonestum habet acium. « Idcirco semper dum id, quod utile videtur cum eo, quod honestum est comparatum, utilitatis species jaceat honestatis valeat (94). »

70. Hæc præscripta servantem (95) licet in tranquillo honestatis vivere, et ad normam rationis vitam traducere. TULLIUS : « Ut enim in fidibus aut in tibiis, quamvis paululum discrepent, tamen id ab artifice animadverti solet ; sic nobis ducenda vita, ne forte aliquid discrepet, vel et multo magis, in quantum melior est actionum, quam sonorum concentus. Itaque, ut in fidibus musicorum aures minima discrimina sentiunt, sic nos, si volumus acremorem esse animadvertentes, magna sæpe intelligemus ex parvis. Ex oculorum obtutu et ex remissis aut contractis superciliis, ex mœstitia, ex hilaritate, ex visu, ex locutione, ex contentione vocis, ex submissione et ex cæteris similibus facile judicabimus, quid eorum apte fiat, quidve ab officio discrepet. Quo in genere non est incommodum, quale quidque eorum sit, ex aliis judicare : ut si quid in aliis dedecent, vitemus et ipsi. Fit enim nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, si quid delin-nisi velis illum enatum ex sequenti ipsius Horatii :

Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Cæterum Hildeberti editio secundum versum ita legit :
Suspensos laqueos et opertum præcaveat hamum ;
Viderint eruditi viri.

(92) Cic., in *Off.* 8.

(93) Cic. *ibid.*, 10.

(94) Cic., *ibid.* 11.

(95) Modus dicendi Ciceronianus ex I *Off.* 26, *in fin.*

quitur, quam in nobis ipsis (96). » Unde poeta HORATIUS :

*Cum tua pervidens oculis mala lippus inunctis
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum ?* (97)

71. His ergo præceptis vir amator honestatis crebrum et assiduum adhibeat usum. Fere enim omnium moralium doctorum elegantiora verba hæc angusta particula comprehendit; unde hic facilius intueri ea poteris, quam si per multorum volumina vagando dispersa colligas. SENECA : « Multorum enim auctorum lectio et omnis generis voluminum aliquod vagum et instabile habet. Verum est namque quod nusquam est, qui ubique est. Vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa habeant hospitia, paucas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullis ingenii familiariter se applicant, sed omnia cursim et propeperanter transcurrunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quæ sæpius transfertur, nihilque tam utile est, quod in transitu prosit; distrahit multitudo librorum. Itaque cum

(96) Cic., 1 Off. 40 et 41. Sunt quædam variæ lectiones minime spernendæ.

(97) Horat., 1 Sat. 3, 25-26.

(98) Senec., Ep. 2, paucis mutatis aut prætermisissis.

(99) Cic., 1 Off. 18.

A legere non possis quantum habeas, satis est habere, quantum legas. Fastidiendis enim stomachi est multa degustare quæ varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege et si quandoque ad alios divertere libuerit, ad priores redi, et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas (98). » Illud enim bonum curandum est, quod voluptate fit melius.

72. Præter hæc etiam ea quæ de moribus præcepta videbis re ipsa et actu complere incessanter satage. TULLIUS : « Ut enim medici vel oratores, quamvis præcepta perceperint, quidquam dignum laude sine usu consequi nequeunt, sic præcepta officii servandi causa traduntur illa quidem, ut facimus, ipsi, sed rei magnitudo usum quoque et exercitationem desiderat (99). » « Adversamini vitio, ut ait BOETIUS in libro *De consolatione*, virtutes colite, ad superna spe animos sublevate, humiles preces in excelsa porrigit: quæ si rectæ sunt, inefficaces esse non possunt magna siquidem vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos versemini iudicis cuncta cernentis (100). »

(100) Extrem., cap. paucis mutatis, inter quæ notamus: *Adversamini vitio, loco adversamini vitia et ad superna spe animos sublevate loco ad rectas spes animum suble.* Hic locus Boetii deest in editione ubi post *desiderat* additur in fine: *Explicit liber Moralium.*

VEN. HILDEBERTI

LIBELLUS

DE QUATUOR VIRTUTIBUS VITÆ HONESTÆ.

(E ms. Colbertino. n. 6327. Non dum editus.)

MONITUM

Satis superque fuerit solerti lectori præmissam Moralem de honesto et utili V. Hildeberti Philosophiam perlegisse, ut subsequens poema De quatuor virtutibus vitæ honestæ nihil aliud esse deprehendat, quam synopsis sententiarum et præceptorum moralium ab ipso in præcedenti tractatu collectorum ad suum ipsius commodum, aut etiam ad institutionem juvenum, quibus ejus lucubrationes ad mores informandos tradebantur; quod quidem de se testatur Petrus Blesensis, epist. 103, ad R. archidiaconum Nannetensem de puerorum institutione, his verbis: « Profuit mihi quod epistolas Hildeberti Cenomanensis episcopi, styli elegantia, et suavi urbanitate præcipuas firmare et corde tenus reddere adolescentulus compellebar. » Quidni ergo et ejus carmina ad juvandam puerorum memoriam composita, et quæ, teste Orderico Vitali ecclesiasticæ historiæ lib. x, pag. 770, non solum in Gallias spargebantur, sed etiam Romam « transferebantur, et dicacium scholis, » ut ait, « et Didascalis Quiritum admiranda videbantur; » et etiam illis fortasse memoriter discenda imponebantur. Hoc autem poema eruimus e manuscripto Colbertino n. 6327, annorum circiter quingentorum, quod ex subjecti similitudine præcedenti libro duximus immediate subjungendum. Nihil autem hic ad marginem notavimus, quia quot versus, tot fere sententiæ.

Quatuor eximias virtutum proprietates
Complures docti disseruere viri;
Quarum se formis si mens humana coaptet,

C Perfectum faciet integra vita virum.
Officiis igitur propriis descripsimus illas,
Fiat ut his apte morigeratus homo.